Sewerinowicz Joan. Chrysost. Gradivus pro integritate coeli terraeque strenuissimus —

GRADIVUS,

PRO INTEGRITATE CÆLI TERRÆQ;

STRENUISSIMUS;

DIVINISSIMUS

ELIAS PROPHETA,

SACERRIMI ORD: FRATRUM BEATISSIMÆ

VIRGINIS MARIÆ

DE MONTE CARMELO

PATRIARCHA, & FUNDATOR.

Resonante annuæ Festivitatis suæ Classicô

In Regiò-Jagellonica Sacratissimi CORPORIS CHRISTI Basilica

In Campo Posnániensi, sita.

A

M. JOANNE CHRYSOSTOMO

SEWERINOWICZ,

In Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore, Publico Sacrâ Authoritate Apostolicâ Notario, in Academia Posnaniensi Rhetorices, & Dialectices Professore,

ORATORIE

DECLARATUS.

Annô

Domini Exercituum. 1738. *Die* 20. *Julij.* 9.

POSNANIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

IN ILLUSTRISSIMUM INSIGNE DOMUS GRABOWSCIANÆ.



I.

Tranſcendens Sphæram *LUNÆ*, GRABOVIUS *ENSIS*;
Orbi tutando ſolus utriq; ſat eſt.

II.

Unus, qui Terras MUCRO defendit, & Aſtra,
Servari meruit mundi utriuſq; ſinu.

III

Ultra Polos LUNÆ, pertingens MUCRO, notat; quòd:
Nomine GRABOVIO plenus uterq; Polus.

ILLUSTRISSIMO
Ac
MAGNIFICO DOMINO,
D. JOANNI
à GOTZENDORFF
GRABOWSKI,
TERRARUM PRUSSIÆ
ENSIFERO,
Domino, & Mecænati Faventiſſimo.

D*E Carmelitano-Poſnanieñſi Cãpo* Domino Exercituum, Ordinatæq; Caſtorum Aciei, *ex diviſo adſcriptoq́ deſcèdit hodie in Campum Gloriæ Domus Tuæ ſtrenuiſſimus pro Integritate Cæli, Terræq́ GRADIVUS ELIAS PROPHETA*; ILLUSTRISSIME *ac* MAGNIFICE DOMINE, DOMINE MECÆNAS FAVENTISSIME. GRABOWSCIANA *etenim Domus Veſtra, hæreditaria eſt Heroum ſtatio, Divorum autem perpetuum* Receptaculum, *illos parit ut* Laconia, *his autem in telis amoris ſui ſtipulata, Divino honori commilitat. Id utiq; deſignat* Patritius veſter GLADIUS, *in vagina* LUNA *reconditus; quod ſcilicet, ſic in terris congeniti degitis Hero-*

es GRABOVII;*ut etiam Cœlo vel commilitetis,vel: auxiliares feratis copias, easq; immortales. Porrexiſtis Aſtris Veſtrum Acinacem, ut: ſui defenſiva arma præſtò haberet Jupiter, queîs meliús, quàm à* Miniſtra Aquila *porrectîs quondam fulminibús, impetuoſos Gigantes domet. Proinde: hoc fuit efficax motivum Cæleſti Terreſtriq; GRADIVO ELIÆ PROPHETÆ D. ut relictîs jam ſui Carmeli Olympiîs, in Campum Gloriæ Domûs Tuæ, Caſtra elogiorum, Copiaſq; laudum ſuarum tranſmetaretur, nam Generoſitate Tui animi, Geneſiſq; illectus; talem Te agnovit Martis Comitē, qualem ſibi, ipsi aſſociarent Dij, si vel: infallibiliter vincere, vel: tutâ post bella quiete partiſq; victoriis uti, aut etiam Sanctè triumphalem laborum, laudumq; ſuarum memoriam futuris tradere ſeculis, traditam autem, in infinitum conſervare illæſam in terris vellent. In Te enim Martialium Actorum Archivium est, omnis autem Literaturæ* Biblioteca Caput, *morum verò pie* Civilium, *velut in Romano Metello, utpote Polono Prudentio* Officina. *Nec mirum: quod tantis beatus es in vita dotibûs. Nam: ut* Fortes creantur fortibûs, & bonis, *ita etiam* Illuſtriſſimus *ac Excellentiſſimus* ANDREAS GRABOWSKI, Caſtellanus Culmēſis, *omnî elogiô major Parens Tuus, talē*

Te

Te genuit J*OANNEM Filium, qualis exigebaris;*
Ut documenta dares, quanto sis Patre! creatus.
Senator hic à senio meritorum factus, non sibi, sed Reipublicæ, *ex Miraculo Pulchritudinis* H*ELENA* Ł*ĄCKA* natus, *prius respexit ad ensem, quàm ad lucem, prius Clypeum, scutumq; Martis, quam Lucinæ poposcit cunas. Pares summis viris, fascias nactus, totam Titi agit vitam, statim querens, gemensq; scilicet, si quem, non præstito communi utilitati beneficio diem amiserit. Sed nullum amisit, quia omnia vitæ suæ momenta, usibus publicis consecravit. Testis est asserti hujus, Gedanum Civitas, magis profundis Viri hujus, nempe Patris tui Consiliis, quam Baltico mari circumfusa, in cujus, magno Comitiorum confluxu, (*J*OANNE Tertio, Poloniarum Rege)* Mareschalcus, *scipione clavo, sic rexit Navem Reipublicæ, ut nullis periculorum allisam scopulis, in Promontorio* bonæ spei, *quinimo,* in Fortunnatis *optati effectus* Insulis *constituerit. Testes sunt Petricoviensis, Lublinensisq; Areopagorum stubæ, ubi: in bilance Themidis, nihil venale habens, omnia devolutarum ad selitium momenta, magnis librabat ponderibus rationum, &: omnibus ex æquo in Tribunalitio Foro solvebat causarum merita. Aspexit hanc ab astris Astræa æquita-*

tem Viri Deputati, igitur: Cztuchoviensibus Ca-
stris, præfecit Herculem Judicem, ut monstro-
sa litigantium quæstionum capita, Jurisconsultæ
mentis suæ face adureret. Expalluerunt illico
omnia, cum suis authoribus reis, vitia; &: solo
audito Człuchoviensis Aristidis ANDREÆ GRABO-
VIJ Nomine, protinùs ex cunctis vicinis oris, ul-
tra limites mundi, aufugerunt, nolendo scilicet,
timendoq; ANDREÆ Crucem experiri. Nemo Człu-
choviæ, aurea manu, in devij suspectiq; Proces-
sus sui, cæcam duxit Justitiam, quia sic impiè
liberalem manum. Incorruptissimus Judex AN-
DREAS GRABOWSKI gladio Juris, & deprompta
ex Fascibus Judicis Honoris sui securi, amputa-
bat. Longum esset cuncta Illustrissimi Genitoris
Tui, perpendere rectefacta, quia: quæ dixit, scri-
psit, fecit! non carminis hæc sunt, nec ingenij
mei, aut paginæ hujus, sufficit capacitas adeoq;
jam non Oratorio cultu, sed potius, propenso si-
lentio veneror, Electivos Regum labores ejus,
Varsaviæ expeditos, ubi pro AUGUSTO Secundo &
Tertio (nunc feliciter dominãte) Poloniarum Re
gibus desudando, tantos effudit imbres! qnantos
nascente Minerva effudit Cælum; nempe aure-
os; quia auream duorum AUGUSTORUM messem
adferenites. Sufficit proinde innuere quod: hos Pa-

rens

rens Tuus elegit AUGUSTOS; *quorum alter jam Divus, nuper vitâ functus, nunc Decus est Cæli, qui fuit orbis Honor; alter Præsens Gloria Regnorum, & æterna erit Fama seculorum. Hôc itaq; es* Progenitore Satus, *in cujus manibus sunt Sortes Regum! sed: licet hîs, plurimisq; aliis rectefactis emeruit sibi Purpuram Senatoriam, emeritam tamen, diu recusabat suscipere, malens benemeritus esse, quam Togatus. Verùm, eadem etiam fuit cura* Illustrissimæ *BARBARÆ de* Kleysztoviis *Matris Tuæ, ut Lectissimum Maritum suum, Patrem Vestrum, per conjugalem, Deiq; amorem obstringeret, quatenus: gratis serviret Reipublicæ, &: copiosissimæ Domûs suæ contentus pane, Panem Benemerentium, nempe: Dignitates, nō sumeret. Excelsi enim animi fuerat Lectissima hæc Domina, & tantum eminuit feminîs, quantum eminet Ille maritis. Adeoq; satis sibi,* Vobisq; caris Pignoribus suis *rata ad præmium esse, absq; ulla mercede Honorum, (ne mercenarii, sed Filij Patriæ habeamini) ex solo respectu pro publicis commodis in Vinea Lechica laborare. Nec mirum: domesticus enim hic Illi fuerat Despectus Honorum, quem, à Matre sua,* AVIA *autē Vestra Materna* SOPHIA KLEYSZTOVNA, *didicit, inter piè humilia hæc monita, in privatis colloqui-*

is sibi data: Solorum nonnisi (*Filia mea*) Captatorũ popularis auræ hic ambitus est; per solos fasces, non autẽ per merita numerare Avos, Nepotesq; Ingenuæ autem ab intrinseco Genesis (*qualis Vestra est Excellentissimi* GRABOVIJ) Clara Domus satis est Nobilitate suâ. *Et ideò, (ut arbitror)* Materna *AVIA PARENSq; Vestra* Lupos in Ceris gerunt Patritiis: *ne Colchici audeant accedere agni, Phryxæa vellera in Trabeas ferentes Senatorias. Nam Vos, AVIÆq; Væstræ, solo (sed sat exquisitô speciosoq;) contentæ sunt* Habitu Virtutum *omnium. Nec alia me latet causa, cur scilicet, eædem Materna Avia, tum: Genitrix Vestræ; in GRABOVIAM Domum* Lupos *conduxerint? ut nempe KLEYSZTOVIOS harum Matronarum* Lupos, mittatis in *devorandos* bellicos *hustium* Arietes, *cogatisq; his Lupis Vestris, feroces eosdem mansvescere Arietes, ne ampliùs sub simulato nomine Arietis, hostiliter altercantes; & capita sua, & Corpus Nostræ Polonæ Reipublicæ, vel Exercitûs Lechici, & mænia Urbium Sarmaticarum quatiant, totiusq; aboriginativæ Libertatis, ac Patriæ Integritatem concutiant. His tantorum Parentum Tuorum Os de ossibus descendit Orthodoxæ Ecclesiæ Custos Angelicus in carne, Pastor Norma gregis, Præsentis Infulæ Amor, & Delicium; omnium Tiara-*

ra-

rarum Illecebra, Præsulearum Flos Violarum, Diœcesanorum Regula Vitæ, Phænix naturæ Raritas Cōpēdium Cælestium Gratiarum, Illustrissimus Excellentissimus, ac Reverendissimus ADAMUS GRABOWSKI, *nuper Nilopolitanus, nunc autem Culmensis, & Pomesaniæ Antistes, Tuus Excellentissime* ENSIFER, *Frater germanus; dignus Cæsar esse, si Sacrorum Unctus Rex fuisse nollet; sed stratis sub Præsuleas plantas suas profanis Honoribus, eo ipso altior, eminentior; quia in Olympo, Pastoraliter exaltandæ, exaltatæq; jam, Divinæ Gloriæ constitit. Præconisat magna ejus in Ecclesiam merita, Posnaniensis Cathedra, quod scilicet talis fuit Vir Ecclesiæ* ADAMUS GRABOWSKI, *Suffraganeus, & Generalis Officialis Posnaniensis, qualem protunc Illustris: ac Excellent:* STANISLAUS *de Bezdan* HOSIUS *Antistes, Ecclesiastici Orbis Atlas, Pastoralium curarum suarum auxiliatorem Herculem Suffraganeum, & ampissimum totius Diœcesis Ovile exigebat. Qualis toti numerosissimo Clero, Relligiosisq; omnibus expediebat, qualem Officialis Authoritas, commoda, negotia, & utilitates omnes pridem poscebant ante Illum. Quali, optimus Ordo Basilicæ Cathedræ, Hierarchia Ecclesiæ, quali deniq: Venera-*

bilis Majestas Reverendissimi Capituli, gaudebat plurimum, & crescebat. Perorant Encomia ejus, duo simul Suggestus Regij, Regale nempe Solium AUGUSTI III. *& Reginalis Majestas* MARIÆ JOSEPHÆ *Austriacæ Regum Polonorum, quorum non solùm faustissimam Electionem Varsaviæ, prosperrimam autem Coronationem Cracoviæ Magnificâ simul Tecum Magne Mecœnas assistentiâ locupletavit, secundavit; sed etiã commissum sibi, Honoris Regij negotium, (dignè portando Nomen Regum coram Gentibus Albanis) sic efficaciter apud* CLEMENTEM XII, *Pontificem Maximum, totamq; Sedem Apostolicã, promovit Romæ, ut desideria Dignitatis Regiæ ipso effectu coronasset. Quæ vero nunc, pro Deo Ecclesia sua Culmensi, & Serenissima Republica Polona,* Illustrissimus *hic agit* PRÆSUL! *non hujus, sed Cœlestis Orbis expedit Orator, ut adæquatè tãti Antistitis merita eloquatur. Verum: non solum Ille, tribus Nilopolitanâ, Culmensi, & Pomesaniæ Tiaris; sed: etiam* Illustrissimus, ac Excellentimus PAULUS GRABOWSKI, *Episcopus Chelmensis, quartâ insuper, Chelmensi Vittâ Præsuleà,* GRABOWSCIANAM *Domum infulavit. qui, Annô 1464, à* PAULO II. *Pontifice Maximo, nõ ex nihilo meritorum creatus (a) Chelmensis Epi-*

(a) Martinus Cromer, de Orig: Rebusq; Polon. Lib: 25. fol: 360. & Lib: 29, fol: 420.

piscopus; sed ex magno, ac capacissimo Scientiarum, virtutumq; subjecto, ad Pastoralem, & Senatoriam sedem proddunctus (sponte enim ipse suâ ad Honores ire noluit.) Sacer, tam Ecclesiasticæ, quam etiam Polonæ Reipublicæ, Vir Pater Patriæ, oblatam sibi à Jagellonida CASIMIRO III. Poloniarum Rege Sponsam Chelmensem Cathedram, magnis dotavit Bonîs Animi, & Corporis, dotatã veró, quotidianîs Divinæ Laudis ac Gloriæ cẽsibus auxit, ampliavit. Ob cõtinuas tunc Tartarorum scytharumq; in Russia grassationes, Cathedram Chelmâ Skierbiessoviam, in tutiorem, nempe stagnîs circumfusum locum transtulit, imitatus JOSEPHUM VIRUM MARIÆ cum Sponsa sua fugere in Ægyptum, ne sacra Sponsa sua famem, & timorem hostium pateretur. Pertinent ad Gloriam Domûs Vestræ, (quia promovent jam illam) semina Heroum, Nova Propugnacula Regni Lechici, magnæ Purpurarum Expectationes ac Illecebræ, in Flore vivacissimæ Adolescẽtiæ suæ, Bina Corona Domus, utriusq; Parentis, Vestra, & Patriæ futura Perillustres, ac Magnifici Domini STANISLAUS & ANDREAS GRABOVIJ Castellanidæ Culmẽses, Fratres Generosissimi, ac lectissimi, qui, in Virgineò-cerea adolescentiæ suæ ætate, jam Bonô Do-

mûs Veſtræ, ac Reipublicæ ardent, & lucent omnibꝰ virtute ſuâ Vobis ſimili. Sed, nõ tantum in maſcula, verum, etiã in muliebri GRABOVSCIORUM *Prole, virilis eſt animus, & virtus,* Illuſtriſſima, *enim* THERESSIA BLESZYNSKA, *Caſtellaniſſa Mederecenſis, Diana Soror Tua Phæbe Mecænas mi, nil imbelle habet præter ſexum; quanquã & hunc dubium fecit, quia ad Thereſſianam Sagittam, ſive lanceã, cum probis hominibus, ipſiſq́; Aſtris; ſemper de meliori bono fortiſſimè pugnat affectibûs. Si vero Sagittam, & fôrmam compoſitiſſimi vultûs ſimul ſpecto! certe: verus Cæleſtium, piorumq́; hominum Amor, ſuam in ea Ideam habet. Exquiſitiſſima verò de* GRABOVIIS HELENA GRABSKA, *plus quam Ilia Helena eſt, quia nõ uno decēniô omnibꝰ reſtitit vitiis. In*Luſoria GRABSCIORUM, *ſibi maritali* Tabula, *nunquam ſcribit amaritudines, vel indelebilem ſuæ læſionis characterem, ſed ſemper magnæ Inſtitutionis format elementa, ad quæ nunquam puerilia tractat, ſed materna ſemper, quamvis autem Literatiſsima eſt, nullas tamen alias fatetur ſe noſcere Literas in hac* Tabula, *præter Alpham, & Omegam Deum, quem laudare ſemper, obſtrinxit ſe formali ſtrictoq́; voto Matrimonij, cum Lechico Pierio* CHWALKOWSKI, *primo Viro ſuo, contracti nuper.*

Si

Si demùm ad cognata Vobis Nomina respiciam! certissima dicam, quod GRABOVSCIA *una Domus Regnum est, Regnum, ast: quod continet Orbē! hic enim eviscerant se erga Vos amore* Łąccia Jelita. *Florent in Campo Gloriæ Vestræ, in Coronas Vobis, imperantq; omnibus, & supereminent,* PAWLOWSCIORUM Lilia Reges, *ubi suum Vobis cādorem, & succum communicant. Nidificant in Fastigio Domus Tuæ* ZAWADCIORUM Accipiter, KIERSCIORUMq; Corvus, *& Imperialibus Regnorum æquiparati Aquilis, alas Famæ suæ, extendunt ultra Nidum Lechiæ. Appretiant Vos ferreos Martis Viros Aurea Nomina* ZŁOTNICCIJ, *& ubiq; gentium, tam de se, quàm de Vobis bene audiunt Gentilitiâ* Aurî Novinæ *sui. Accurrunt huc veloci passu* BIEGANOWSCIJ, *& quot gressus faciunt, tot Victorias cum Coclite, Pompejoq; numerant, quia Vobiscum Centurioribus, militant Honori promiscuo. Habet Domi Vestræ Paradisum* Coronatus BORKIORUM Serpens, *sed nullum sollicitat ad vetitum, nisi, vel:* ad dignos fructus Pænitentiæ *(si quem peccasse videt,) vel ad Aurea Regnorum Poma decerpenda. Supra* OSTROVSCIOS, CZARLINSCIOS, OSTENOVIOS, *cæterorosve quàm plurimos conduxerat de Avito Campo, Polona Fabia, plusquam Tercentas Patri, Matriq; suæ*

conſæratas Comitum, Equitumq́; Lechiæ Copias Illuſtriſsima ANTONILLA *de* KRZYCCIIS GRABOWSKA, *Caſtellanis* NAKLENSIS *Caſtellaniſa verò Culmenſis, ſtrenua Comes Cordis Tui, quas, in Cœleſtem abiens Militiam, omnes Tibi reliquit in Præſidium æviternum. Quibus Celsiſsima* NEO SPONSA *Tua, etiam* ANTONILLA *Principis* de Zbaraż KORYBUTHIS WORONIECKA, Vexilliferis *Volchyniæ, ſub Vexillo Honoris ſui non tantum Comites* RYDZYNSCIOS, *de Materno Thereſsiæ* Verbno *Equites Liliatos, ſed etiam cum Celsiſsimo Principe, aureo Patre ſuo* NICOLAO, *Magnos Duces Lithvaniæ, Duces in* Zbaraż, Nowogrod, Severiæ, Wołhyniæ, *quinimò* Reges Poloniæ, Ungariæ, Boemiæq; (*quos diſtinctius mea Muſa canet*) *in Tuam hodie inducit Domum, ad cujus Hymæneum, dum accelerat D.* ELIAS, PROPHETA *hinc etiam ipſos, Clementes in Tua Vota Deos, ſucceſſusq́; fauſtiſsimos inclinat, & ut ſemper inclinet. Ita*

opto, precorq́;

ILLUSTRISSIMÆ *ac* MAGNIFICÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

addictiſſimus, ac propenſiſſimus Cliens
Author Operis.

ORATIO

INexpugnabilis est, hujus MAJORICÆ Sparta Posnania: *Dexterrimi Auditores.* Tot Lycurgorũ etenim, quot Principũ, Regumq; Polonorum Legibûs, in animo Civium scriptîs; necnon, Divinô Jure in Romanò-fidelibus, ac Fidelissimò-Romanis Incolarum cordibus sculptô, optimè est institutaꝰ hinc: Orthodoxò:Sarmaticæ, ac Sarmaticò:orthodoxæ *Justitiæ Gladiô.* & murorum Coronam, & Magnò:Lechicæ, ac Lechicô-Magnæ Gloriæ securitatem, defendit, tueturq; intergerrimè. Nec mirum : didicit enim illa, omnẽ adhuc ab ipso *Lecho Primo* dexteritatem, qui, *Ex Croatia, per superiorem Pannoniam in Moraviam, ex hac autẽ per Hercinium saltum in* fraternam *Boemiam, ex Boemia tãdem, per Teutomicas Pharsalias,* Invictum Alciden, Polonarum dũtaxat Parentem victoriarum, secũ ducens Exercitum, *per Olympia Posnaniensium agonum, sulcorumq́;*, ad Primam Regni nostri Coronã, olim Regum, nunc jam Archi:Præsulum Vice:Regumq; simul, Polonorum Coronatricem *Gnesnã venit.* (a) Proinde: Orientem Poloniæ Solem Lechũ, priùs *Posnaniensis* contẽplata est *Aquila*, quàm *Gnesnensis*, priùs Serenissimos Majestatis ejus libavit radios, quàm illa vidit. *Gnesnensem* enim in nido, quasi pipientem adhuc, re-

 pe-

(a) Dubravius, & Cromer, de orig: Rebusq; Polon: Lib: 1. c. 16.

perit nostræ Conditor Sarmatiæ; ubi, ut ad ferenda belli fulmina, hanc futuram sui *Ministram*, optimus, maximusq; noster Jupiter hic educasset; inter latè fusas paludes sta-gnaq;, altè structîs Civilibûs mæniîs circumplexit Nidum Gnesnam, ne qui Scytha, vel Parthus auceps, emissîs Ge-lonô Arcu *Deliis Pharetrîs*, Pullũ hunc, cominùs eminùs si-ve attingeret, attactum penetraret, penetratum exanima-ret, examinatum decuteret, nativumq; ejus Candorem py-riô denigraret fumô, consequenter: Caput Lechiæ (sive Gnesnam, sive Lechum intelligas) cupressô funestaret. *Po-snaniensem* verò *Armigerum Alitem*, jam inter victricia sua vidit signa, ac vexilla; quæ, in circumsparsis hîc stadiis fixerat, dum vialia stativa suis novellis castris metaretur. Quapropter: omni jam admirationis absolvor dubiô, ac stupore, cur Augustissimi hujus Palatinatûs Rex Ales, absq; Corona hucusq; prostat? ! nam: hac primò gradientem Lechum, depositô (præ civilissima humanitate, & cultu) Diademate, adoravit, salutavitq; undè: bene sibi impressam Sauromatici Primipili Conditoris speciem, etiam nunc præ-sentissimam versans præ oculis, semotô aureô pileô vene-ratur, ne, vel minimæ inurbanitatis, humanissimus, politi-ssimusq; Alituum Princeps, vel solâ mente suâ arguatur. Quinimò potiùs: futurum protunc Regem Lechum, gra-tissimum, ac Augustissimum apud se hospitem, propriô suô in pignus, muneratus est Diademate, ut suam Metro-polim Gnesnam, pro Majestate Regni, urbis, & sua, Le-chus; jam in Corona ingrederetur Regia, neq; (inventô jam Regnô) peregrinus adhuc protunc in Polonia, Princeps in quærendo alibi coronario auro, victorem ferrũ, & cha-lybeas vires suas, ampliùs fatigaret, sed, ut cõservaret hero-icum hoc animi sui *Robur*: tum contra hastiles hostiles fra-xinos, tum: ad Imperalia sua oracula Fatidicum, tum etiam ad appendenda, sustentandaq; trophæa victricia, ex Mar-tialibus æmulis Herculeô dextrô detrahenda. Diutiùs qui-dem paululum, in Gentilitijs, Nobilissimi Palatinatûs Po-

sna-

nanienſis Ceris, mea hæſit ſvada, quia Oratoriam pennam, *Præſes Provinciæ hujus Aquila*, utpote, ſub frigida ſeptemrionis, ad Aquilonē, & Boream algente arcto, hucuſq; dimittere noluit, nec dimitteret adhuc, ſi gelidus *December* eſſet, nō *Julius*, deplumandis Imperialibus Aquilis, exæſtuante ſyriô conſentaneus, aptiſſimus, cōmodiſſimus. Proinde: dum oratoriam pennam meam, dimiſit jam, Ales hic Ocyſſimus; ergo Propheticô *ELIÆ Gladiô*, apto eandem Pennam, ut Magno Polonæ Spartæ Poſnaniæ, primùm: intramuralia deſcribam Tutamina, dein, extramænialia delineem Propugnacula; quibûs, hinc ſe præmunit, inde opponit omnium Integritas. Quia verò, Sacræ Divorū Baſilicæ, *Rhodij* ſunt urbiū *Coloſſi*, in queîs Cæleſtes meridiant Phæbi Indigetes, qui ex *Arcu* Tutelaris *Amoris* ſui, emiſsîs, impulsîſq; Divinò-Appollineîs, ac Apollineò-Divinis ſagittîs, hoſtiles perimunt Pythones, ne, virulenti hi *Angves*, in excidia Trojarum *Sagittarij*, toto pectore, per cuniculares caveas plerumq, *ſerpentes*, caput ſuū intra viſcera, corpuſq; urbium figant, ac lethalî reptilitatis Barbaricæ venenô inficiant; hinc: in Plantis ſacratarum Cælitibus Ædium Poſnanarum, nullîs penetrabiles armîs Aheneos Muros delineo in *Geographicis Mappis Paginæ Oratoriæ*, ſed Locticô non Długoſſo, imò Lacone ſtylô, quinimo: *Cicerone, minore, charactere* Oratoris, nam: Majorî dicendi Scholaſticâ, exprimēdis Sacris Poſnaniæ Præſidijs, vix integræ totius *Mundi Mappæ*, vel ipſum Cælum folium! ſufficeret. Pro prima itaq; intramæniali Baliſta Poſnæ, en ecce offert ſe invicta *Machina Mundi, Sacrò-Marianum Magdalenæ Armamentorium*, tot explodendîs in hoſtem Vulcaniîs glandibûs, quot fusîs Divæ *Prothopænitentis* Orbibûs Lachrimarum globîs refertum, proviſum, inſtructiſſimum, quibûs, ſtrenuiſſima hæc *Amazon* ipſum *Dominum Exercituum* vix tetigit, protinùs in piiſſima ſua vicit deſideria, &, omnes animi ſui delevit hoſtes labes. Unde: amantior Tranquillitatis Publicæ, animoſiorq; *Semiramis hæc Magdalis*, diffusîs per brachia,

Eccleſia Collegiata Divæ Mariæ Magdalenæ

nec reductîs hucusq; sive ad decoris ordinem; sive ad ordinis decorem, capitis sui crinibûs, omnes Magnò-Polonæ hujus Babylonis discordias, ac seditiones componit bellicas, parataq; est, hos respexos crines, cum Albanis Heroibus in nervos torquere cõtra Barbaros, si bellici nervi Posnæ rumperentur. Eminet deinde super Civiles muros *Colossus*, verè *Rhodius*, Ducalî erectione *Celsissimus*, splẽdidissima Thomistici *Solis Regia*, Mysticæ Lunæ Mariæ, ac Primæ Magnitudinis Dominici sideris Olympus, solîs nonnisi ejaculatoriîs intensissimæ Pietatis actibûs attingibilis Augusta scilicet Patrum Prædicatorum Basilica, Colossum illam Rhodium congruè definivi, nam:

Ecclesia PP. Prædicatorum.

Hac Titan, hac Luna pares circumagit oras.

Titan scilicet, Phæbusq; Aquinaticus, Theodoctus scientiarum, omniumq; eruditarum Princeps Præses Musarum Apollo Thomas, Angelici *Amoris Arcu*, & Odrovąziîs Hyacinthi Sagittîs, in hostes Posnaniæ minax, post cursum Theologiæ, & vitæ, in hoc Rhodio Colosso meridiat, ministrãtibûs sibi, omnibûs Horîs, in *Horologio Principum* aureîs, & omnibûs semper Primîs, vel secundîs, id est semper felicissimîs. *Luna* verò Pleniluna Rosariana Cynthia (quanquam & hæc *Amicta Sole*, &, quod Paradoxiùs est, *Solis Justitiæ* non jam Soror, sed Parens, pro Aurora,) in Arcum se urbi sinuat Triumphalem. Quia verò etiam Herculea Virgo est Illibata, igitur, jam ex sui Rosarij Floribus, serta civibus nectit Purpurea, *in coronas Civicas*, Barbaris autẽ, omnem Victoriæ herbam eripit, ac inter rapaces eorũ Palmas, cupressos iisdem, taxosq; plantat, ut in æstu belli, sub lethales earum umbras declinent longè à Dilecta huic Junoni MARIÆ *Carthagine Posna*. Vigilat ibidem pro quiete omnium Antedialis Phosphorus, *Aurora Dominici Matutina*, ex Roseo Cubili Rosarij surgens, Paritq; quotidie Dominicum *Diem Solis*, post Srzodenses ferias munificâ *Præmisli Posnaniensium Ducis*, (Serenissimi Præmisli Primi, Regis Poloniarum, *Genitoris*) *Translatione* (b) semper celebrem

(b) Cromer Lib: 9, fol: 156.

brem, & festivum. Dimicat proTuitione Posnæ, *Dexter utrâq; manu Ordo Seraphicus*, qui, jam victrices Urbi Lauros inter *Palmas Assisias* plantat, fovet, colit, & educat, ubi: ad *CastrensemCasimiri Magni ære, solidè fusam Arcem*; (c) Areopagi Majoris Poloniæ Leges tuetur æquissimas, maultq; in suis *Manibus* ferre vulnera, quàm illa adCorpus urbis admittere, vel illud sauciari. Unde: quamvis ex *Umbria* cum suo Duce virtutum Francisco, in Lucem nostrã prodierit; tamenRegiam hujus *ultimi Piastidæ*, ac, Publicæ Posnaniensis Fortunæ *Rotam*, Spartanò:Legislatoriæ Arcensis Gloriæ junctam Currui, radiis instruit, Seraphici Amoris fervore Illustrissimis. Opponit murorum latq Civiumq; cor & Pectora *Septemplicî Nominis JESU Clypeô* Hispanus *Ajax Loyola Ignatius*, qui, vel, ideò *ad Pampelonem*, tormentô bellicô permisit, sibi frangi tibiam; ut hîc immobilî, fixôq; pede firmiùs proTutamine Posnæ staret, nec à triumpho unquam retrocederet æviterno, ne, verò, in continuis vigiliis solus tantùm excubasse videretur, ad vigilantiores adhuc excubias, conduxit secum *Grandem Hispaniæ* PrincipemHeroem *Xaverium*, &, stemmaticè soleatum *Poloniæ Equitem*, Viennensium, Chotimensiumq; Victoriarum, Cælitùs Præfectum Præsidem *StanislaumKostkam*; qui, soleatô passu suô, primas adversi belli frangat glacies, obterat omnes hostium vias, & ad CapitoliumStatoris Jovis, Imperialem Civibus Appiam sternat, & præcurrat. *Excubat* pro Annibale *ad Vronecensem*, simulq;ad Gentilitiam Posnæ *Portam* Tritonia Virgo Minerva *Catharina*, tam versatilî, circumspecti in quævis discrimina, ingenij stylô, quàm etiã vibratô suô trilicî *Gladiô* acerrima, quæ, postquam Porphyrium Imperialem Maxentij Ducẽ, *tercentosq; ejusFabios* sola, in aperta Ingenij & fidei acie vicerit Alexandriæ; Posnæ suam locavit *Rotam Martyriam*, adCurrum triumphalem præparatam, quam, in Gigantomachia bellica, contra quosvis hîc rebelles Gigantes pro Parma sumet, ut hosticò:barbaricîs seditionibûs furentes

Ecclesia PP. Franciscanorum.

Ecclesia PP. Societatis Jesu.

Ecclesia S. Catharinæ ad Portam Vronecẽsẽ.

 Da-

(c) Idem Lib: 12. fol: 216.

Damastoras, *Echiones* nec non *Pallanta* (d) reformet in[è],
faciem saxi, Marpesiumq; cadaver. Quid si Sanctimonia-
les recenseam Heroidas? quæ, utpote Vestales sunt Sacer-
rimæ, hinc: semper *Custodem* Posnaniensis *Imperij Flammã*
in aris fovent, nutriunt in Pectore *Virginibûs Cerîs se ipsîs*
Culmenses Virgines certè, Audacissimæ *Dianæ sunt*, non
solùm eò, quia semper *Castissimæ*, sed etiam, quia præ Di-
lectione conservandi, colendiq; *Pudicam* illibatæ suæ Vere-
cundiæ *Arborem*, in Almifico Benedicti semper versantur
Luco, ubi: jurati Cælo sui *Amoris Pharetræ*, omnes belli-
geros Pardos in metam destinant Lethiferam, sternuntq;
Leones, sive Sveticò: Theumesios, sive Theumesiò: Sveticos.

Religiosæ Moniales S. Benedicti Culmenses s. Chełmiński, dictæ.

Carmelitanæ autem *Heroinæ*! *Camillæ sunt Dexterrimæ*,
quæ, Posnaniensibus Latinis, adversùs quosvis æmulos Æ-
neas, alienis Laribus Devotos, *Auxiliares* Theresîæ ferũt
Copias. Hæc itaq; sunt interna Præsidia, quæ, intra Rhodo-
pæia sua Penetralia, Impenetrabilis *Arca Jovis* Posna, Gen-
tilitiîs, ac stemmaticîs suîs conclusit *Clavibûs*. Quia verò
ut serò, ac periculosè, vel saltem minùs salubriter, quãvis
jam parata plerùmq; sumitur medela, dum jam admissum
virus in corpore serpit, ac membra fatigat, *meliùs* autem
saluti semper *consulitur antidotô*, nam: inviscerati jam to-
xici, morbiq; sicut præposterum, ita violentum, quinimò
extremum remedium ejectio, rumpit plerùmq; viscera, non
sanat; vel si sanat; attamen debilitat, ut serò: quamvis Do-
mesticos exhaurit Puteos Ucalegon, dum jam in fastigiis
flammant incendia! nisi oculatior speculator, ac observator
Vicinus, citiùs à se prospectum, compescat fomitẽ; vel hy-
drographicîs machinîs superarbitras ejaculetur aquas, u
extingvat; antequam, vel ubi jam; conceptas vires Vasta-
tor sumpserit ardor. Ita pariter, securiùs adhuc defendun-
tur urbes, sacrîs extramænialibûs Propugnaculîs, in quib-
contra, fulminibûs bellicîs Tonantes Joves, Cælestes Præsi-
diarij stant Apollines, qui, à longè omnes prævident, &
arcent ictus, ut tempestivè prævisa pericula, vel nec min-
mè,

Religiosæ Moniales D. Theresiæ.

(d) Nomina Gigantum.

nè, vel saltem remissiorî robore, cuneent, quatiant, arie-
ent Fortalitium. Nam: licet gloriosùm, dum eijcitur ur-
ibûs hostis, gloriosiús tamen, si non admittitur; quia,pri-
num, cum majori discrimineCivium agitur; alterum verò
cum integritate etiam murorum, ac lapidum. Illapsa ete-
nim intra urbiũ tecta Martia flamma, si non incinerat pe-
nitùs, vel non infavillat; denigrat tamẽ turpiter fumô py-
riô, igitur: bene securitati suæ consuluit *Caput Majoris Poloniæ Posna*, dum, non tantùm, circumfluum *in Excubi-as* sub mæniis *præfecit Vartam*; sed etiam ultra urbem, in Divorum Ædibus, sua undiq; disposuit Propugnacula, in queîs pro *Aris Focisq́* Posnaniensibus, Empyrei Metelli opponuntur. En ecce Prostat ab Aurora *Regia Solis*, Mie-cislai Primi, primi Orthodoxi Principis Poloniæ, Funda-tore aurô *Serenissima*, Orientalis Cardo rei bellicæ, ad A-postolica Limina hostilî chalybe impenetrabilis, Publicæ salutis Receptaculum, CommunisRefugij Domus,*Templũ Æternæ Pacis & Concordiæ*, ad Posnaniense Latium, ad Tiberim Vartam *Ara Cæli* extra Romam, PontificiũAU-GUSTAL CATHEDRALE, in quo, die nocťuq; insomnes agunt vigilias Bini Sacri Dalmatæ, Duo Fulmina belli, Apostolici Principes ScipiadæPETRUS,PAULUSq; quorum *Primus*, in Vaticano:Posnanis Liminibus suis, Divinæ in terraPotestatis, & scientiæ *Clavibûs*, omnesPo-snam, præcludit aditus hostibus, qui, etsi cumSimoneMa-go, per aera Posnam volare nitantur; tamen, à fervorePe-trinæ Pietatis, adustîs alîs suîs, & spe præconcepti effectûs, & Icariîs ausîs excident. *Alter* verò, utpote *Damascenus Eques*, in effrenatos animos invehitur, & districtô troicô *Ense suô*, cunctorum Posnæ æmulorum, sic decutit cervi-ces; ceu Papaverum capita Romanus olimTarquinius. Ex-cubat ibidẽ *Miles inToga*,Theologiæ & Pacis Doctor Ma-ximus,exOsviecimensiDucatu, omniumAntesignanusPro-bitatum PrimusVirtutum CoryphæusJOANNES CANTI-US, qui, non magisRegio:Academica Sceptra nostra; quàm

Varta Flumẽ sub mæniis Posnæ fluit.

Basilica Cathedralis ab oriente.

Ecclesia S. Adelberti ad septemtrionem. *Reginam Majoricæ Posnam* tuetur. Reprimit omne mal quod ab Aquilone panditur *Hastatus Præsul Achilles A albertus*, is fusum ad Savam à *Venedicis*, suum sangvinem hîc in Adversariis Posnæ ulciscitur, quos ad Vartam fundi Primates Interpositiones suas, Cælesti Eridano, pro ausp ciis Posnæ affundendo; adeoq;: nullas jam in Vartam vale bit impellere Classes, hostilis Aquilo, vel Boreas, sempe

Ecclesia S. Martini ab occidente. adversãte illis Remô Adalberti Protegit *Militarî Sagô, &* *Palliô Prælatorum*, Posnam, ac occidentali jaculorum te pestate, *Infulatus Eques*, sive *Galeatus Antistes Turonens Martinus*, qui, in sacro sibi ad Occidentem, *Castro Militi Christianæ*, unus castra facit, solus Tricorpor Geryon, ce timanus, Briareûs, omnibûs dextrîs, æquè Liberalis, ac stre nuus, contra Barbaricas Chimeras; fortissimus *Bellerophi*

Ecclesia PP. Carmelitanorũ in Cãpo à merid: *tes*. Sed: nec Meridionalis æstus adeo fervet; ut exura Posnam. Protendit enim hîc in *Posnaniensi Campo*, Prophe ticum ELIAS Pallium suum, quô, malignam meridiona lem Plagam, Melior Trajanus hic, obligat, & sanat. Cæle stis ille Hyppotades, Augustissimus Propheticorum Impe rator Spirituum, omnes Lethiferos, Meridiei Austros, na vifragosq; Coros; temperat, componit, & æternô, claudi carcere. Nõ miremini igitur Auditores Cordatissimi, quoc huc in *Posnaniensem Campum* in Toga veni; non in Sago cum Oratorio stylo; non cum ferreo, in Doctorali Tiara non in Casside vel galea, ad Carmelitanò: Seraphicos Patres cum Academicò: Philadelphici Amoris Pharetris, ac, cum Palladis tantùm Hasta, non autem cum rhompheis milita ribus. ELIANO: etenim *Posnaniensis Campus* iste Prophe ticô ELIÆ *Gladiô* deplanatus, inter Asceticas Carmeli Pa mas, nullas tegit insidias, sed omni patet tutamini, ubi i

Eadẽ die fuit Festum B. V. M. Scapularis. Arena *Aciei Castrorum Ordinatæ*, Sanctioris Bellonæ, MA RIÆ, scilicet Scapularis, sub Scapulare Labarum, invinci biles Terrigenarum hodie scribentis copias, stat pro secu ritate omnium, evaginatô semper Gladiô, Infractus Pro pheta Heros ELIAS, qui, totum hîc, & Posnanæ Urbis, &

ipsi-

ipsius *Domini Exercituum* tuetur *Corpus*, quinimò: defendit tres integros Orbes Eucharisticos; Ergo ELIAM Divinissimum; Strenuissimum pro Integritate Cæli, Terræq; GRADIVUM esse, in hoc Posnaniensi Campo, stylô monstrabo Oratoriô. Dabis Dexteritatem ingenij, Invictissime *Domine Exercituum*; qui in sacro hoc Jagellonicè:Regio ELIÆ Tentorio, jam per viginti duas Indictiones Romanas, & novem annos (e) sive per sexaginta octo Olympiadas, continua hîc stativa tenes; dabis (inquam) dexteritatem styli, & ingenij Oratori, ut: pro GRADIVO ELIA Divinissimo, tantîs dimicem Elogiorum, ac *Verborum Copiis*, quantæ, si non de condigno, saltem de congruo, hoc Dexterrimum Militantis Ecclesiæ Numen, nempe ELIAM decent. Ut autem Vibratiùs, generosiùsve, pro GRADIVO ELIA PROPHETA, tendatur; simulq; tam, ad *Punctum Honoris ELIANI*, quàm etiam: *ad Metam Dictionis meæ*, oratoria mea tendat arundo; Intensissimum benevolæ Attentionis Vestræ nervum, à Vobis *Faventissimi Auditores*, exposco propensissimè.

SPatiosus est Terrarum ambitus AA. ultra *novum* etenim *Columbi Orbem*, adhuc exstat; sed, tam longè, latèq;: ut, continuum non solùm Columbæ, verùm etiam, Aquilæ volátum excedat, ac exanimet. Quinimò: ultra ipsas *Terminales Herculis Columnas*, plurimùm adhuc protenditur, Nam: *Calpe, & Abyla*, Herculi, non mundo, *Terminales*; limitarũt Alcidæ passus, non stadia Terræ, Graniciales sunt scopuli, sed, campo definitæ Herculeæ Gloriæ, non autem iusinitis fermè, utpote rotundis Telluris Possessionibus, atq; Bonis, iisq; hæreditariis. Bienniô emẽsa orbem *Navis Magellanica*:

Multorum mores hominum lustravit, & Urbes,

adhuc tamen *Incognitas* sibi; ac ulli influeret *Regiones*, si, vel sub ipso arctico, vel sub ipso antarctico Circulo, Poloq; proram, & anchoram figeret, viseretq; Austri, & Boreæ Domicilium. Breviore compingam stylô: nondũ tam vali-

(e) Id est; per annos 339.

lidum fulmen, deTormento fulgurum, explosit ignea vi *Pulveris Meteorici*, quod , Terram à fine ad finem fortite pertingeret, vel circumvolaret; sed unâ exanimatum *Pla gâ mundi*, priùs ad sui, quàm ad Terræ venit exitũ!. Multò tamen adhuc ampliora sunt Atria Cælorum , nam : & Terrestrem Domum ambiunt, & Augustissimam ipsius *Solis Regiam* complectuntur, ac comprehendunt. Emergũ ultra Apocalypticum *Mare vitreum*, & Eridanum circumspargunt, ultra Auroram patent, ultra Hesperum oriuntur in æquidiali puncto subsistunt quidem; sed incipiẽdo, quiescẽdo , non autem desinendo. Adhærent Septemtrioni sed: tanquam medio, non autem tanquã termino, aut metæ. Protrahuntur adeò in axibus utriusq; Poli, ut si viam peteres sideream, jam in *Imaginariis* usq; *spatiis* te esse præsumere! quamvis nondum medium verorum attingeres Ampla itaq; sunt, Cæli, Terræq; amphitheatra; quia utraq usq; Diametrìs mensurantur! sed utraq; Arena hæc , suos habet hostes. Nam: ut *Rosa*, nunquam (nisi *aureô*, eoq; nõ nisi fictô *seculô*) *sine spinis*, ita CælumTerraq;, nunquam sine invidis sibi æmulis. Subest utiq; Terrestris orbis tot periculis, quot sideribus, nam contra Terrigenas:

Belligerant pestes, fames, incendia, morbi,
Finitimi, cultiq; Domi, mors, fulmen, & unda,
Tollunt sæpe Cibi, qui nos nutrire tenentur,
Sæpe necant risus, ac insidiantur amici.

Regnum Cælorũ autem, etiam *vim patitur*, eò intolerabiliorem, quia ab improbis admissam, qui sideream Arcem arietant vitiis, male svasi ac certi, id rapere se posse crimine, quod nonnisi soli Benemeriti consequuntur. Deficiũ ab Astris, eorumq; Classico, acPræsidio, dementati; majora in defectione à Deo, auxilia, & virtutem quærere, a invenire se posse præsumere; & non potiùs unitam Cæl vim humanam, semperfortiorem esse credere. Persequũtur ordinatissima Divinæ Religionis Castra, lixas idololatriæ sequendo legiones; ubi: diu deliberatè justæ ultioni

cæ-

cælitùs emiſsâ Pharetrâ tacti, vel ſuum cum Juliano Apoſtata, ex iuſtiſſimè inflicto vulnere fluens cum ſangvine tabum & virus, vel: Innocentium hominum cruorem, & animas in ſidera jaciunt præ furore ſubſannato. Sed his, ſimilibuſq; reliquis, Barbaris, ſemper adverſatur Strenuiſſimus pro Integritate Cæli Terræq; GRADIVUS ELIAS Propheta Diviniſſimus, qui, *igneô Enſe ſuô*, Cælum, Terramq; opponit, ac tuetur. Ut autem exactiùs, hujus Præſidiarij Numinis, ſtrenua pro ſecuritate Cæli Terræq; acta referam, ac recenſeam; ſaltem quorundam ejus Trophæorum conſcribam copias, & diſtinctam dicendi aciem ordinabo.

FerreoViro, utpote: GRADIVO ELIÆ Diviniſſimo, in primum Laudis, & Gloriæ ſtipendium, aurea contigit Patria. Primam enim ille *Militiam ſuper Terram*, nempe *vitam hominis*, cæpit *in Arabia*; ſed tamdiu fuit Tyro, quã diu in utero, ex viſceribus autem Matris, tanquã ex Trojano Equo, jam Vir, jam Miles, jam Heros non infans, GRADIVUS ELIAS Enſifer prodiit, imò: tota cum illo *Gladiatoria Familia* ad defendendum utrumq; orbem nata eſt. Nec mirùm: commune enim in Arabia cum Phænice, Grypho, Struthiocamelo, & Sardonyche nactus ſolum ELIAS, Nobiliſſimam eorum naturam in naſcendo imitabatur. Nam: *Phænix*, vix naſcitur; *jam Pater eſt, in Prole ſe ipſo!* in pipiente pullo, jam trecentennali Robore Idæ adultior! quia plurium, quàm Saturnus Luſtrorum Victor. *Gryphus* etiam, vix in orbem prodit; jam duorum Regnorum Hæres! Alituum ſcilicet Princeps, & animalium Rex eſt. Quid *Struthiocamelus*? en, vix excuſsô ovi tegmine ad vitam excluditur, jam conſumendo chalybi peridoneus! totam in ferro exerere vitam reſolutus. *Sardonyx* autem, utpote *Gemma*, adhuc in cunis, & jam ſibi duplicî colore geminat Imperium! niveô ſcilibet, inter uniones ad coronam, rubicundô autem, inter carbunculos ad annulum. Purpuratorum Patrum Candidatus; ita ELI-

AS Diviniſſimus, in Infante ſe ipſo, jam ſene digna tulit indicia Probitatum! ubi, primâ ſtatim ſuæ Lucinæ Die, ceu aurum, ita GRADIVUS noſter ELIAS Arabicus, in igne, Igneus MARS eſſe probabatur; dum ſe bini Cæleſtes Genij, niveîs ornati togîs, flammâ pro lacte alerent, & igneô Curru veherent pro cunabulis. Verè *Felix*, *aût Petrea* debuit eſſe *Arabia*, quæ, tantum Virum! Parente Sole Deô, inter montes ſuos decoxit, ſtillavitq; ELIAM! qui, ceu Adamas, ipſum aurum Arabiæ, & totum Annulum Orbẽ, ſeu mundum appretiavit, valore Nomini, & moribus intrinſecô; inconſtantem verò Juventæ ætatem, in ſe ipſo *Conſtantino*, velut in *Petra* ſolidavit. Proceſſit in ulteriores annos Diviniſſimus ELIAS, ſed: *more Sagittæ*; uno ſcilicet impetu, uno greſſu, uno paſſu, jam uſq; ad ipſam metam Sanctitatis! quam, ſimul cum Sangvine ab Aarone trahens, Montanum Aaronis Nomen, Carmelô auxit; & *Monte Pietatis*, quibus Divinæ Gloriæ Olympum, plùs, quàm Pelion Oſſæ ſuperimpoſuit; hinc: uſq; ad ipſum pertigit verticem Empyreum!. Quia verò: *omnes redeunt in ſemina cauſæ*, igitur, etiam in Diviniſſimum ELIAM, utpote Nepotem, Duorum *Gentis Sanctæ*, *Electi Iſraelitici Populi Dei*, Ducum, *Moyſis* nempe, & *Aaronis*, hæreditariô quôdam transfuſionis, traductionis, & ſucceſſionis, jure, tranſiit omnis, hinc: Dexterrima Pietas, inde autem Piiſſima Dexteritas, quâ Moyſes, & Aaron Atavi ſui, *in Mõte Horeb.* ELIAS autem in Carmelo, puras ad Superos levando manus, illi Amalecitas, hic alios Cæli Terræq; hoſtes vicerat, ejaculando fortiſſimè, Aſceticarum globos precum, quos ut expeditiùs funderet, Diviniſſimus GRADIVUS ELIAS, *ad Torrentem Carith* ſe contulit, ibiq; contra Jordanem, ſub Tentorio ſudo Cælo, Aſcetica ſua ſtativa habuit. A gemina *Caritate Carith* hic eô temporis dici meruit, Amoris ſcilicet, & Cariſtiæ ſeu Penuriæ; *Amoris!* nã: totum ſe uberrimè Diviniſſimus ELIAS in amorem Superum effundebat, fundebat & ſangvinem, de foſſo per ſup-

po-

positos sibi rupiũ silices, corpore; quod, Eremiticîs expugnando incommodîs, discebat facile vincere alios, vincẽdo priùs se ipsum, præludebat publicisVictoriis, luctando privatim secum. *Caristiæ, ac penuriæ!* nam: suam longâ inediâ saginando famem, patientiùs tolerabat sustentandæ vitæ inopiam, quàm copiam scelerum in hominibus. Unde: summô incommodô sui, summa orbîs alebat cõmoda, ubi orationibûs, & jejuniîs, stipendia terræ, plurimîs a Rege Cælorum merebatur. Ne verò, absq; commeatu, etiam ipse magnus primusq; *Ascetarum Dux* GRADIVUS ELIAS esset; de Cælesti Promptuario, assam Cererem carnemq; per proselytos satellites corvos in dies repetebat. Volabant in obsequia ELIÆ, Alites; nam: Ducalia ejus Imperia, tardiorî promptitudine peragi dedecebat, quibus, non tantùm *mora*, sed & ipse *Amor moræ* displicebat. Crocitabant quidem corvi ore *cras*, *cras* opere tamen, præsentia ELIÆ negotia in instanti exequebantur, quinimo: ipsâ crastinante voce, jam etiam in futurã diem, suam illi operam, & obsequia pollicebantur, spondebant, promittebant; promissam verò fidem suam, charitativô *Providentissimi Numinis* in crastinum subsidiô adimplebant, carnis, & panis illi copiam, sub Phosphorum, & Hesperum ministrando, sed: sine ulla esculentorum jactura, & obsequij negligentia. Nec jam latet me hîc ratio; cur Diviniori *MARTI* nostro ELIÆ, Corvus, non *Picus est oblatus?* Picus enim, semper cristam erigit, vermes in conscientiam, (quia in viscera pro esca) admittit, variô colorum syrmate, versicolorem in se animum Polypi Protheiq; indicat, agnatô tandẽ vertici pectine, se, vel: nimis deditum prophano cincinnorum cultui, vel: penitùs sordidum moribûs, prodit; quod scilicet: quamvis ubiq; secum fert pectinem, nunquam tamẽ suam componit cæsariem, tumente semper cristâ ceu plicâ; hinc: Propheticò: sapientior MARS noster ELIAS, noluit tot vitiis obnoxium, nempe: superbum, male conscientiosum, variabilem, &; sive: effeminatum marem, sive Ephorum

Picum, ſuis dicatum fuiſſe ad Carith obſequiis, Corvum verò nutritium ſui admiſit, ut: olim moroſus, quinimo: nunquam redux hic Legatus Noe, neglectum ſub diluvio mundi ſuum *ad Arcam* reditum, quotidianâ apud ELIAM, fidelitate, & velocitate compenſaret; Dein: *in militari* GRADIVI ELIÆ *diſciplina*, carnivoram gulam, ac avaritiam dediſcens, omnem à continẽtiſſimo Viro ELIA, diſceret (prout & didicit) carnis abſtinentiã. ELIAS enim Miles quidem erat, ſed Cæleſtis, utpote GRADIVUS, Deorum Defenſor, adeoq; ſine militum vitio, quia nec raptîs vivere ſcivit, nec illicitîs, ſed, in ſublevandam famẽ, ſitimq; ad *Torrentẽ Carith*; ſatis illi erat: *fluviuſq; Cereſq;* cælitùs pro viſa. Quanquam non in ſolo pane & aqua vivebat *ad Carith* ELIAS Diviniſſimus, ſed etiam Verbô Dei, quod procedebat ab ore ejus Prophetico, zeloſiſſimo, devotiſſimo.

Incidit jam hîc Diviniſſimus ELIAS ſuâ ætate, in Herculea diſcrimina, nullo periculorum armiſtitiô interrupta, ubi: continuò naſcebantur execratiſſima ſectarum monſtra; domita verò, denuò reparatas cervices erigebãt. Incidit in ea tempora, quæ, verè GRADIVO, in impia pectora *Lancem Vibrante* (f) Divinæ, humanæq; integritatis Vindice indigebant; nam: minoris animi Heros, impar erat, ut rebelles Cælo, & Relligioni hoſtes conficeret, tolleret, ſupprimeret. Quos inter, primus eô tẽporis adverſus Dux, Achab fuerat Rex Iſraëlis monſtrum coronatũ *Adamante Samariâ* (g) qui, ſic Regiô honore primus erat; ut etiã impietate nemini ſecũdus, ſibi verò (ſi ſtatũ peccatoris ſpectes!) infelix, eſſet! Præibat cunctis ad defectionem à vero Numine, &, quia:

Claudian: de 4. Conſul: Honorij

- - - *Totus componitur Orbis*
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent; quàm vita Regentis,

Joan: Audẽ: Epigr: 113.

ſi quidem ſemper:
Princeps principium motûs, Rex regula vitæ.

Igi-

(f) Gradivus ex vi nominis eſt: *Lancem vibrans*. (g) Samaria exponitur: *Adamas*.

Igitur, ut: ad *raptum primi mobilis, inferiores movētur ſphæræ*, ut ad volubilitatem unius in regulari horologio, rotæ; reliquæ quoq; omnes aguntur, ac volvuntur in orbē, ut tractus prior catenæ circulus, totum ſecum trahit torquem, ita: unus Rex Achab, totum *ſecum Principe mobile vulgus*, ad rebelles Cælo turbines, ad idololatriam, ad apoſtaſiam, ad defectionem à Deo, ad ſeditionem traxerat contra Superos, ipſe priùs nutando fide. Placebant purpurata ejus ſcelera omnibus, exceptô ELIA probiſſimô, laudabant ſinguli *adulatores Regum Cives*, quod: ultionē Dei, ELIÆ autem juſtiſſimum odium commovebat. Quia verò: ubi à vero Numine receditur, jam in ſolis humanis viribus raró, vel nunquam quieſcitur, ſed ad validiorē contra Superos rebellionem, ſemper auxiliares dæmonis copiæ conducuntur; igitur: etiam Rex Achab, exoſus veri Numinis cultum, deunculo, quinimo: dæmoni Baali; Aram, Templum, cor, & animam ſuam conſecravit, unde: qui, Veri *Dei Gratiâ Rex* fuit, ſub *Dominante Baali* (h) factus Plutonis mancipium, idolo, ſtygis dolo, ſerviendo. Non ſuffecit ei ambulaſſe in peccatis *Joroboæ Populum* Dei *impugnantis*. (i) Sed accumulavit ſcelera ſceleribus, *Lapidibûs* Divinæ *Offenſionis*, coronam Iſraëliticam depretiando, qùinimo: convellendo, contundendo. Virilis erat in eodem ſceleſtô apoſtaſiæ auſu, etiam Jezabel Regina, Relligionis & Prophetarum ſummus oſor! in caput hoſtis! de *Sidonio Rege Ethbaal*, progenita; habuit quô rubeſceret, quòd nullum ſcilicet pretioſum *habitum Virtutis* continuit, effusô per tyranniam, ſangvine Prophetarum, ſuam tingens Trabeam, trabe dignam publicâ. Jam itaq; tota cū ſuis Principibus Samaria, adversùs Cælum belligerabat! jam totum Iſraelis Regnum, adeo in Numen verum conjuraverat! ut *Iſrael*, jam verè *Prævalens Deo* (k) eſſe videretur! Quamvis enim poſſit impiis, ſupremum Numen reſtitere, fugit tamen plerūq; ab iiſdē, arma Juſtitiæ ejus, vel miſericordiâ, vel longanimitate ac patientiâ, ſaniorē pec-

(h) Baal *Dominans*. (i) Joroboam *Populum Impugnans*. (k) Iſrael; *Prævalens Deo* exponitur.

cantium ſenſum expectante, avertentibûs; aut ipsâ quoq; Dei Juſtitiâ, nolente ſuum in improbos ſtringere, ac exercere gladium; ne ipſa ſuâm ulciſcendo injuriam, præbeat hominibus exemplum ad vindictam privatæ læſionis. Advertit tam grandem Cælorum injuriam ELIAS Diviniſſimus, & doluit; quòd excors Achab, Jezabel, totaq; Samaria, cor ſuum à Datore cordium Deo, averterent, converterentq; ad dæmona Baalim, quem, odiô, non amore proſequi tenebantur. Sed quia: parùm eſt, Divinam, tantùm dolere, injuriam; niſi pro illa etiam opponamur, vel: quantùm tenemur ex Juſtitia, vel: ſaltem quantùm valemus ex virium congruentia, Peccat enim, quiſquis videt Dei contemptum! & dolet tautùm, vel connivet, non vindicat tamen eundem, quamvis teneatur, & poſſit vindicare. Igitur THESBITES ELIAS noluit per conniventiam Regalis idololatriæ, debitum creaturæ, ac juſtitialiter exigitum pro Creatore, zelum, & meritum prætermittere; ſed: deſpecti veri Numinis contemptum, ſuam eſſe maximam injuriam ducens, ſolus Caſtra, ſolus Exercitus ingens conſtitit imperterritus adversùs Achabum, vibravitq; in eum, *gladium utrâq; parte acutum*, Lingvam nẽpe ſuam Propheticò:zeloſiſſimam. Exploſit in Achabum, omnes juſtiſſimi zeli ſui impetus, quibûs: Aſcetici cordis & mentis machinam, ex præconcepto ſolius Dei ſenſu, optimè oneraverat, ut verò, pro Duce Militantis Eccleſiæ Sacratiore coturnô dicam; Eccleſiaſtici Encomiaſtæ hîc utar verbîs: *Surrexit in Achab* Regem *ELIAS PROPHETA quaſi ignis, & verbum ipſius tanquam facula ardebat!* mõſtravitq; hôc ardore Propheticô igneum, pro integritate Cæli ſe eſſe GRADIVUM, dum in apoſtatam Regem totus excanduit, ut in eo ſcintillas Pietatis, & Aſceticam facem, ad veram accenderet Religionem. Demum: totũ Achabi Regnum ſolus obſedit ELIAS Diviniſſimus, abſeſſis autẽ Regibus & populis idololatris, Cererem, & Neptunum; quinimò: rorem ipſum intercepit, ut fame & ſiti, faciliùs

ad

ad deditionem vero Numini, ad cultū Religionis flecteret apoſtatas. *Verbô Domini continuit Cælum*, & pluviam ſuppreſſit; ut ſiccitate hâc, ſaxea molliret corda infidelium. Levabant Samaritani ſitim, ſed: ſolîs lachrimîs; præ afflictione juſtâ, uberrimè fluentibûs, aſt: & hæ citò areſcebāt, præ adurente continuò trium annorum æſtu, juſtâ ultionis Nemeſi, in apoſtatas ſuperinducto ab ELIA Diviniſſimo. Gemebant ſitibundi, non tantùm juvenes, ſed & juvenci, illi Seniores, hi Dominos ſuos in ſenſum ELIÆ adhortantes. Hinc: ſenſit DEI, & ELIÆ manum impius Achab, ſed ſenſus hic plures necaverat, proinde: clade ſuorum ſubditorum doctus Rex, ſapientiùs ab obſtinatione reſipuit; dum veniam, pacem, & vitam deprecatum venit ad ELIAM Diviniſſimum. Ubi: movebat quidem adhuc jurgia Achab, Iſraëlis, & publicæ Pacis Turbatorem ELIAM nominando. Sed: ELIAS, turbati Iſraëlis cauſam idololatriam eſſe indicans, objectum ſibi ſcelus, in Authorē hujus ſceleris Achabum tranſtulit, dicendo: Turbat Regnum perfidia tua, & tamdiu inquietus fore, quamdiu in illa quieveris, corrige culpam, & conciliaſti Pacē, jacies tutiſſimam quaſſatæ Navi Reipublicæ anchoram bonæ ſpei, ſi Fidem veram ſtatues in prora cultûs priſtini, Amorem autem veri Numinis, ad clavum tui Regiminis collocabis. *Olea* enim *Pacis* publicæ, *ex radice Fidei pullulat*, creſcitq; adeoq; hâc plantatâ, viret; avulsâ autem, areſcit, deperitq; Verùm: Achab, non ſolùm perfidiæ, ſed etiam *injuriæ Proximi*, nec non homicidio fuerat obnoxius; quamvis enim non rapuit vineam, nec vitam ſuſtulit *Naboth Jezraelitæ*; *vineam* tamen *poſſedit*, *cædem* autem, à Jezabele Regina advitali Regalis Thalami ſui ſociâ juſſam, *ratam habuit*, quia non reprehendit, nec arguit; quamvis debuit arguiſſe, utpote vir caput uxoris. Quia verò: *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus rei ſunt.* (l) Igitur: utriuſq; criminis reus factus Rex Achab, æquè deliquit conſentiens, nec arguens ſcelera, acſi ſolus eadem

E per-

(l) Can; Viduas, 27. q. 1.

perpetrasset. Complex facti fuerat, verô effectu, non quidem Physicæ concausalitatis, vel, moralîs Imperij; sed cõniventiâ dissimulatione, & ratihabitione suâ, causati, & mperati per Jezabelem, criminis; tam vineæ, quàm vitæ Naboth, nec jure, nec justè ereptarũ violẽter. Quia verò, magna crimina, non solùm in Authores, sed etiam in cõplices facti, etiam morales, parem vindictam trahunt,(ut nos adhuc Paradisi informant transactiones, & præjudicata, parî exiliô, & deportatione in Insulam maris lachrimarum vallis, Adam consentientem, ac Evam Decerptricem pomi vetiti, condemnantia, atq; punientia) Igitur: *Zelô zelatus pro Domino DeoExercituum*, nec non pro cæde, ac injuria *Proximi* nempe Naboth Jesraelitæ, ELIAS Divinissimus; pariter in Achab, ac in Jezabel, æquô animô invectus, iniquitatem eorum expugnabat, auxiliantibûs sibi Divinæ Gratiæ suppetiîs; ubi: pænam talionis utriq;, classicô oris sui vulgans, sangvinem pro sangvine Naboth, vitam pro vita eos impensuros fuisse, commisâ sibi Fide Divinâ, PROPHETA asseruit. Tetigit tanti anathematis fulmen, Achabi pectus, &, licet, non prostravit quidem, cõmovit tamen & perculit plurimùm horrore: Quapropter: Omnibûs, & totîs intremuit artubûsAchab,Palmãq; ac herbam Deditionis suæ Deo, in manus ELIÆ tradidit, culpam deprecans officiosissimîs Regiæ Majestatis suæVerbîs, & contritô, eôq; demisô infra Regium fastum animô. Placuit DEO, & ELIÆ; hæcAchabi à malo resipiscẽtia,& eò magis habebatur integra, quia contrita in pectore, eò sublimior, quia in humiliato corde profundissima, abyssalis, eò pulchrior Pænitentia, quia Purpurata, eò pretiosior, quia Regalis coronæ adamantibûs aucta, cælata, adornata. Idcirco: Divinissimus ELIAS; Regis, & populi pænitentium lachrimas, imbre siccavit & compensavit irriguô, magnis æqualî desideriis, restituitq; Cererem, per suppressas nuper, justâ vindictâ, pluvias, impeditam. *O Nimium*

Di-

Dilecte DEO! ELIA Diviniſſime, *cui fundit ab Antris, Eolus armatas acies, cui militat æther, & conjurati veniunt ad claſſica venti!* Et hoc eſt acerrimum pro Integritate Cæli, Terræq; GRADIVUM eſſe; in propugnato ſcilicet, veræ Religionis cultu, Deum defendiſſe, Reges Cælo rebelles viciſſe, Principes ad fædus aſtrorum adduxiſſe, & injuriã, cædemq; *Proximi* vindicaſſe! ſed hæc omnia Dexterrimus noſter egit ELIAS, ergo indubitatâ conſequentiâ, ſtrenuiſſimus eſſe pro Integritate Cæli Terræq; GRADIVUS Diviniſſimus ELIAS Propheta approbatur.

Pacavit jam itaq; Cæli Terræq; hoſtem Achabũ ELIAS Diviniſſimus; at ecce aliud illi *bellum* inter, ac ſub victoriã natum eſt, ELIÆ quidem *Juſtum*, quia *Bellum Religionis pro Fide veri Numinis*, æmulis autem ſuis iniquum, quia pro perfidia, nempe pro buſto Baali, *ſuſceptum*. Pugnabat enim tunc fortiſſimè, pro aris, fociſq; buſti Baalis, magna heterodoxa phalanx pſeudoprophetarum, octingentorũ quinquaginta virorum numerô conſcripta, Jezebelis Reginæ victitans commeatu, in qua, eô ipſo: *nulla fides, pietaſq; viris* fuerat, quia tam ſacra! dei Baalis caſtra ſequebantur, ut enim ſtelliones, ſtelligerîs induviîs, virus; ut cælitùs emiſsô ſulphure ſublatæ Sodomæ fructus, aurô, Putredinem ac fætorem; ita Flamines Baalis prætextu pietatis ſuæ pſeudopropheticæ! magnam impietatem palliabãt. Unde *Palliata* erat eorum *ſanctitas*, adeoq; eò ipſo ſuſpecta, execranda, & falſiſſima, quia *Nudam* in ſe non habuit *Veritatem*. GRADIVUS autem ELIAS ſacerrimus, adverſô illis Marte ſe ipſo; ejuſdem *Domini Exercituum* tuebatur caſtra, ad cujus æterna Pacta Conventa, ac fædus indiſſolubile nuper conduxit Achabum Regem. Legit etiam ſibi Viros, præ omnibus Viris lectos centum Prophetas, omnes Cæleſtis Militiæ Baltheîs, nempe cingulô Virgineæ Puritatis, & Caſtitatis præcinctos, quos, in ſubſidium ſolatij, & Prothomonaſticæ vitæ, Abdias compropheta ELIÆ inter rupes abdiderat à furore Perſecutricis Prophetarũ Reginæ

Jezabelis. Cadmei hi Viri fuerant, inter Rupes Eremiticas, in omni probitate solidissimi, quasi simul cum Caucaso fusi, aut Marpesiâ caute Parente progeniti. Verbô dicam: Digni GRADIVO DUCE ELIA Milites! nam: ut isti, sic ille, ut ille, sic isti, pro Cælesti Patria, mori libentiùs, quàm sibi vel mundo vivere, resolutissimi, paratissimi. Æqualis erat promiscua inter illos cadere pro Deo, vel vincere alacritas, &: præcurrerent Ducem milites ad pugnam cum hostibus Fidei, & ad Palmam Numini referendam, si sub aliûs segnioris, & non sub promptissimi ELIÆ Ducali clava, Divino honori militarent. Placuit interea, utramq; aciem in *Carmelo Monte* ordinare; pro Cælo enim Pugna, non procul à Cælo esse debuit, ut: Justô Bellô occumbentes ELIÆ Viri, citiùs astra; impiô autem discrimine sublati flexumenes, quinimò lixæ, Baalis, graviore ex monte lapsu, tartara petiissent. Antequam tamen ad bellum, priùs ad victimam itum est; placuit ex hostiis cognosci hostes, & per secta viscera holocausti, futuram totius Corporis Exercitûs utriusq; integritatem, vel discrimē explorari. Placuit priùs litatum in Aram, quàm Bellicum in adversam aciem mitti Arietem, priùs in oram Aræ, quā in limites æmuli Regni impelli Agnum. Ut autem maturiùs, insigniùsve, utraq; procederet victima, Archibos utriq; Parti eâ conditione ad mactandum datus est: ut unꝰ Baali, per pseudoprophetas suos, alter autem vero Numini per ELIAM immolaretur; &: qui in membra cæsus, struiq; impositus, ad effusas Partis suæ, seu Pontificum suorū preces, absq; ullo ignis fomite cremaretur, hic ad fervorē, & unitatem Fidei, omnes erga suum Numen, accenderet, inflammaret. Placuit cunctis Pactum, Verbô ELIÆ propositum, magnâ Dei fretum, plenumq; fiduciâ, igitur, (uti rationabile), utriusq; Partis consensu approbatur. Primi tamen præeunt ad mactandum bovem, crudeles animarū lanij *Pontifices* Baalis, non Latriæ sed idololatriæ cultu *maximi*. Fervent hîc glaciali zelô Flamines nefarij, ut victimam

mam foveant, ſed fovendo refrigerant, & *vitales* bovis *Spiritus* in calentibus adhuc, *recenter* nempe *cæſis membris ad tempus reſiduos*, ſupprimunt, tollunt, & penitùs annihilant. Invocant Baális auxilia, ſed ſurdo narrant fabulas, utpote lapidi ſimulacro. Non poterat enim Baal ſuccendere victimam, quia nec naturali quidem (ſeu vitæ, utpote inanime Telluris inutile pondus) nec Cæleſtîs ignîs ſcintillam habuit. Fatigabant diu precibûs ſuum deunculum idololatræ, ſed dæmon Baal inter infernales Furias educatus, nullis voluit & potuit moveri precibûs, vel lachrimîs flecti. Riſit vanas idololatrarū lachrimas, de Præfico, ac perfido pectore fuſas, Zelator Animarum ELIAS Diviniſſimus, quòd hîs ſuîs, ceu crocodili lachrimîs, magis denuò occiderent victimam, non autem animarent. Inſultando itaq; perfidiæ, conſuluit excitari Baalim, nec dormire capacem, nec vigilare potentem, ſed tantùm jacuiſſe parem truncum deum. Diu, quia uſq; ad æquidiale reſpirium ſolis, præſtolatus ſaniorem ſenſum balantiū, quinimò: bacchantium, circa Baalim Flaminum ſeu ſacrificulûm Paganorum, ELIAS; ut repudiatô à ſe craſsô errore gentilî, Fidem Divinam, ejuſq; veritatem amplecterentur infallibilem, ſed, ubi effectum Sanctæ ſuæ ſpei adpræſtolari non poterat, ergo confusâ blaſphemantium tarditate cordis & fidei, celeriùs ad ſuam acceſſit victimam, ad quam inflammandam, non igne egebat, ſed undâ! Apud miraculoſum enim Zelotem DEI ELIAM Diviniſſimum, etiam *unda dabat flammas!* apud Flamines autem Baalis, etiam ipſe *daret ignis aquas*, eaſq; glaciales, utpote: apud frigidos malefidô corde viros (ſi viros! & non potiùs fanaticas lixas dici conveniebat.) Ter itaq; ſic perfudit aquîs crudiſſimam hoſtiam; ut largiſſimîs torrentibûs; circumquàq undæ fluerent! ſed vix tetigit Cælos ſupplicibûs ſuſpiriîs, illicò, tantum fervore Pietatis ſuæ excivit ignem! ut non ſolùm madida victima; ſed & ipſa unda exardeſceret! Fervebat udiſſimum holocauſtum, &:

omnes circumstantes ad Religionem ELIANI, ac Nostri Numinis, in Votivas Tedas, & in Asceticas faces accendebat! Cremabatur immolatus Taurus, & splendebat in rogo ceu in Zodiaco, fulgens tot stellis, quot scintillis, & ad svave veri Dei jugum trahebat singulos. Candebant hîc etiam Flamines Baalis, sed partim vesanâ in ELIAM irâ, ac furore; partim etiam justô rubore vultûs, ceu ferrum. Præsentes autem tanti Prodigij spectatores, priùs in stuporem, quòd tam fervidum GRADIVUM viderent ELIAM, qui, etiam undas accenderat! demum: in ELIANA vota ibant universi. Pendebant tamen singuli à vultu; & ab Imperio Ducis virtutum, ELIÆ, nec avelli possent; quamvis ferreâ retrò catenâ traherētur. Tenuit enim eos, hinc Vicaria Deorum, in terris virtus tanti Miraculi! patrativa: inde amor speciosæ Majestatis Propheticæ! abinde autem: Facti raritas admirabilis! unde: frendebant universi, zelosô murmure in Baalis sacrificulos, quòd Diti litarent, non Deo, essentq; plurimis motivū ad defectionē à Deo, & à Cælo. Hinc: dignos rogo Flamines cunctos judicabant, ut suo male ardenti nomini in vindice pyra, hi animarum pyratæ responderent. Sed nec ELIAS Divinissimus potuit jam hîc ampliùs pati Cælorum injuriam, adeòq; nec vindictam in se detinere Gentilibus debitam ex *Justitia* criminum *Punitiva*. Noluit tamen igne cremare Flamines, partim: ne hi *filij tenebrarum* illustrem haberēt mortem, qui, totam vitam suam vitiis obscurarunt, semper enim proportionatur mors vitæ. partim autem: ne, saltem & cum fumo sui, ad Cælos tendere niterentur, qui tartara, ac abyssale barathrum meruêre. Quid igitur? ecce evaginatô oris sui Gladiô Propheticô innuit in adstantes, jam veræ Religionis viros in tyronibus, ut cōprehensos rebelles Cælo, octingentos quinquaginta duces scelerum, quinimo lixas idolorum, meros Cælorum hostes, inexorabili neci addixissent, & in fluvium *Cison* præcipitassent, quatenùs suum male ardens Pagani Flaminis, nomē;
fer-

fervoremq; gentilis cultûs, simul cum scintilla vitæ extingverent. Necdum finierat suum GRADIVUS ELIAS Ducale Imperium, & imperati jam sua jussa capessebant, frãgebant superbas pseudoprophetarum cervices, vero Numini olim flecti recusantes, flexos autem in cultum Baalis, poplites; ultoribûs rectificabant saxîs, semper enim merẽtur ultorem lapidem, qui saxum, vel lignum sculptile adorant, & aras erigunt contra Aram, fingendo sibi deos, despectô verô Numine. Fluebat nocuus cæsorum sangvis, laxîs torrentibûs, sed fluendo sinuabatur in angves rivos, quasi ex Medusæ capite profluxisset; vel quia: in dissectas se se recipiebat venas, ut se ab oculis hominum præ pudore, iterum absconderet; vel quia: ad *mare mortuum*, noluit rectè ire; qui & vivere rectè detrectabat. Rubuit eôdẽ justè fusô sangvine permistus *Cison Torrens*, puduit enim fontem, quòd tam impurus, quia nefarius Gentilium cruor, crystallinæ suæ innocentiæ misceretur, &: paganis cõsangvineus fuisse censeretur. Adeoq;: ne particeps criminis esse præsumeretur, ultor erat; ubi: in ipsum fundum, omne depressit tabum, & in uligine sepelivit. Quia verò semper potior est Ducis victoria, quàm militis, magis enim vincit, qui imperat; quàm qui cædit. nam strenui Ducis robur, toti inest Corpori Exercitûs; Militis autem vix tantùm suo. Proinde: dum sub auspiciis, Præsidio, clava, & imperio ELIÆ Divinissimi, tyro Dei populus, pseudopropheticas Baalis vicerit, prostraverit, & simul cũ nomine deleverit ad *Torrentem Cison*, ac fuderit legiones, Cælo injuriosissimas, è diametro oppositas, advertissimas; Ergo; ELIAS Divinissimus Vindex Cælestîs injuriæ, Vindicator Honoris Empyrei, Ultor divinorum hostium, Defensor Numinis Increati, consequenter strenuissimus pro Integritate Cælorum GRADIVUS esse deducitur, eumq; sibi Titulum vendicat jure merito.

Sufficeret quidem plurimis, ad complementũ Gloriæ, tantos Cæli hostes! prostravisse; sed ad Trophæum ELIÆ

Diviniſſimi, adhuc Palma accedit Triumphalis, eô ipſo inſignis, quia ex Rege reportata. Porrexit illam ſummus hoſtis Cæli Ochozias, Coronatus Samariæ Præſes, qui, cũ ſangvine Patris ſui Achabi, ſimul vitam, ſimul etiam idololatriam traduxerat. Succeſſit in Regnum, & in ſcelus, ne degener à patre filius haberetur, ſed, eô ipſo degener, quia ſic ſimillimus Patri, Paterni vitij Gentilis hæres Natus, induit cum paterna purpura domeſticum cultum Baalis, & totum habitum Paganiſmi; falſos ſequendo deos, vera imitabatur veſtigia Patris Regis, ut Regiâ viâ, tenderet in ſcelera, lõgè à ſemita Recti, & ab Appia Fidei, rectè ducente ad ſidera, deflectendo. Incitavit tamen eum generoſa ignavia, ſive ignava generoſitas, ut magnum idololatriæ, & ſuum Patrem Achabum, majore adhuc irreligione ſuperaret. Quapropter: ut religioſior eſſet ſimulacrorum, buſtorũq; cultor Ochozias, præter paternum Baalim, etiam deo Beelzebub erat devotiſſimus, erexit domi non tantùm aram contra Aram, ſed etiam idolum, ſuper idolum introduxit, attamen, eô ipſo nullum coluit Deũ, quia duos ſimul coluit deos. In multitudine enim deorum, nullus eſt Deus, quia nullus Verus, ſed falſi omnes, quia plures. Ludibriũ olim erat Gentium, non terror hoſtium, jam decantatus ille in orbe *Domitor muſcarum Domitianus*, qui omnes muſcas ad ictum Imperatorij pugionis ſui deſtinaverat, deſtinatas autem, quas potuit, perimebat; ſed majus adhuc ludibrium, imò probrum, ac opprobrium totius orbis Ochozias, qui *deum muſcarum*, *Idolum muſcæ Beelzebub* (m) deum *Accaron*, *ſterilitatis* (n) non copiæ authorem adoravit, cui Numini ſuo, ipſæ naſo inſidentes illudebant, ac inſultabant muſcæ, quòd ſcilicet vitulô impotentior, ſive: tam omnipotens erat Deus Beelzebub! ut, per genas, nareſq; ſuas diſcurrentem culicem, non poſſet abigere. Hunc ergo Ochozias deum, in infirmitate ſua elegit Salvatorem, qui, nunquam quidem æger ipſe fuerat, quia vivebat nũquam, adeoq;: nec mederi ſcivit, utpote ſimplex truncus,

imò

(m) Beelzebub exponitur; *deus muſcarum*, *idolum muſcæ*. (n) Accaron exponitur; *Sterilitas*.

imò rudis lapis Æſculapius Beëlzebub, infirmitatum animæ, Author; non autem incolumitatum corporis reſtaurator. Defecit itaq; Ochozias à Cælo, tartaris, cum ſatellitibus orci militando; à Cæleſti Jove, ad Plutonem acceſſit, degener enim in illo Iſraëlitici Regni Aquila; *Increatũ Solẽ* intueri non poterat, igitur ad ſtygias umbras, ſuam convertit pupillam, Caucaſo allidi, vel Harpyjarum ungvibûs comprimi idonea. Sed, ut apertè jam ſuam Beëlzebub ſpõderet Ochozias fidem, Interpretes lectæ ſuæ Legatos miſerat ad eundem, qui, malæ valetudini Regiæ, vel gratiam ſanitatis, vel ſaltem vana incolumitatis auguria, à deo Accaron reportarent. Detulit Ochozianã hanc adversùs Cælos conjurationem, GRADIVO ELIÆ Diviniſſimo, Cæleſtis Nuntius, Triumphantis Eccleſiæ *Miles*, primi, cõtra Cæleſtes hoſtes Ducis pro Deo *Michaëlis Commilito Angelus*, hinc: ne inermis imbelliſq; tantæ cõjurationi adverſaretur ELIAS; Panopliam Melotam in ſe ſumpſit monaſticam, ſub agninis exuviis Leoninum cor, animum verò Herculeum gerens, in quævis pericula intrepidum, audaciſſimum. Nunquam tam terribilis hoſtibus, monſtriſq; fuit Hercules in Leonina pelle, quàm formidabilis fuerat in agnina GRADIVUS ELIAS Propheta, zonâ accinctus pelliceâ & baltheô ſeu *Cingulô* juratæ Cælo perpetuæ *Caſtitatis*, ſumpſit demum acerrima *Aſcetarum arma preces*, & Gladium; Divinum Anathema. Occurrit itaq; ſic armatus, Legatis, ac Ambaziatoribus Ochoziæ, quos ipſo zeloſiſſimi oculi ſui aſpectu, non ſolùm exarmaret, ſed etiam examinaret; ſi, vel: intaminatam, utpote *jure Gentium munitã Legatorum ſecuritatem* violare vellet, vel: ſi juſtiſſimam irã, congenita ejus clementia non temperaret. Omnes ergo unus detinuit, non virium, ſed ſolius verbi robore & virtute. Tractavit tamen eoſdem, convenienti Legatis manſvetudine; ſed idololatræ Regi Ochoziæ, tot fulmina, quia tot anathemata ultionis Divinæ, quot voces miſit per eoſdem, lethali morbô, & morte minaces, perimentes. Solus

erat Fecialis & Heros, indixit bella, ipse, solusq; eadē cō-fecturus. Accepit reduces Legatos indubitatæ cladis suæ Nuntios Ochozias; ergo morte ELIÆ, suam prorogaturus vitam, strenuum Præfectum militum, quinquaginta stipatum Equitibûs, in excursionē expedit, qui GRADIVUM ELIAM Divinissimum in Carmeli Arena ordinantem Sacras Prophetarum acies, vinceret, victum prostraret, prostratum stringeret compedibûs, strictum autem compedibûs, in suam non duceret, sed traheret! servitutē. Sed morte luit temerarium suum accedendi ausum Quinquagenarius, nam cælicò igne is à GRADIVO ELIA exanimatus telîs, dedit suis tempestiva signa receptui ad inferos, terga vertit in tumulum, cum singulis, in monumentis abscondens se à calore Martio Ignis Prophetici Similiter vicit, cùm vixit, secundæ excursionis Princeps Quinquagenarius, Ochoziæ Coryphæus, abiit quærere priorem, nūquam ipse ad Regem, & ad vitam ampliùs rediturus. Tertiæ legioni contra se emissæ GRADIVUS ELIAS pepercit, quia supplici; novit enim MARS ELIAS

Parcere submissis, & debellare superbos.

Satis ratus sufficere ad victoriam, humilitate prostratum videre hostem, ad suas submissum plantas venientem, *meretur* enim *veniam superatus hostis, cum illam rogat.* In sylvis Eremiticis, semper sua Cælo componens Trophæa, didicit à Leonibus, solis tantùm, rebellibus resistere Leopardis, ac tigridibus, nunquam autem sævire in demissos. Reliquit (inquam) superstites, ut & suæ victoriæ testes &, Præsidium militare haberet à latere, ut victor GRADIVUS ELIAS militaribûs stipatus copiîs, pro Ducali Majestate sua, ad Regiam Ochoziæ, ipsum Regem victurus adesset. Adfuit ELIAS Divinissimus, sed ad adventum ejus, & Rex, & aula tota, & terra contremuit ipsa!. Jacuit in lecto Rex Ochozias, sed hinc ægritudine corporis, inde timore perfidæ, ejusq; obstinatæ conscientiæ, (qualis, sic in pænam scelestorum, permittente Deo, nunquam tuta est) non autem

tem demiſſione animi proſtratus. Non ſemper enim ſimultanea eſt corporis, & animi inclinatio, nam: in ſuperbis, impiis, & hypocritis etiam jacentibus, adhuc elatus eſt animus, reptat quidē quandoq; cum corpore, ſed *more laceſſiti angvis ſagittarij*, qui tunc maximè ad ejaculandum ſe ſe expedit, dum corpus torquet, vel caput in terram deprimit, alliſô autem per externam vim collô ſuô, luctatur, circumagitur, indicando: ſe humiliatum, tantùm videri, non eſſe tamen humilem; aut eſſe quidem, ſed coactè, nō ſpontaneè. Sic parili ratione, Princeps Samariæ Ochozias decumbebat in grabato æger, ſed paganam mentem, contra Cælos, Numenq; erigebat, cultor nempe Beelzebûb dei, imò potius dæmonis Accaronici. Proinde: dum nulla deditionis veræ Religioni Deoq; indicia; evidentia verò, rebellionis, ſeditionis, defectioniſq; ab aſtris, ſigna, in oppugnato morbîs, cuneato ulceribûs, obſeſſoq; langvoribꝰ corporis, Ochoziâ pagano Monarchâ viderit ELIAS Diviniſſimus; ergo: cæleſti telô anathemate Divinô, hunc capitalem Cæli adverſarium, Divinum hoſtem idololatram Ochoziam, adeo trajecit; ut ipſam *pro vulnere mortem* eidē inflixerit, ubi de machina oris ſui Prophetici, has verborū fundas in Ochoziam exploſerit: *Hæc dicit Dominus: quia miſiſti Nuntios ad conſulendum deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſraël, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideò, de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.* Verba Divi Eliæ. Effectuavit re ipsâ, Prophetica ELIÆ Verba Ochozias, *mortuus eſt* enim, *juxta ſermonem Domini, quem locutus eſt ELIAS.* Senſitq; eventu ipſo, Diviniſſimum ELIAM Prophetam, ſtrenuiſſimum pro Integritate Cæli GRADIVUM eſſe, qui rebellē Fidei, conſequenter Cæli hoſtē, & Regnô, & vitâ expugnavit, vicit, proſtravit, & uſq; in ipſum depreſſit tumulum.

Gravia certè cum hominibus (ſi hominum, & non potiùs dæmonum nomine digni Apoſtatæ, ac Gentiles) pro integritate Cælorum confecit bella, ac prælia GRADIVUS

ELIAS Diviniſſimus, ſed, multò gravior erat cum fame, graviſſimus autem cum ipſa, eâq; alienâ morte conflictus ELIÆ Sacerrimo. Imò: temerarius, ac impoſſibilis eſſe cenſebatur, quia ad ELIÆ tempora, nunquam practicatâ, quinimò: nec audita ex morte victoria. ELIAS enim ceu Alcides, quò majora ſedavit diſcrimina rerum, eò majoribus adhuc, exploratrix Virorum ſors, periculis ipſum obtrudebat, idq; pro alienis ſemper commodis, nunquam verò pro ſuis ejuſdemmet ELIÆ. Rigidus tamen hic fortunæ Lydius, ſemper Arabicum Virum expertus ELIAM, id eſt: ſemper aureum; qui, in prærupto *Carmeli monte*, ſic allidebatur ſaxo diſcriminum; ut, in eo ſemper aureum ſui laboris pretium ac indicium monſtraret, & linqueret. Teſtis eſt ELIANÆ Virtutis & Gratiæ *Sarephta* inclyta *Urbs Phœnicia*, quæ, licet: *Anguſtia buccellæ*, interprete ſenſu, ac gloſsâ exponitur, amplam tamen panis, & olei copiam, auſpiciô ELIÆ eſt experta. Graſſabatur enim Sarephtæ, graviſſimus *hoſtis fames*, depopulabatur jam publicè urbem, vaſtabat domos, deprædabatur ſubſtantiam Civium, ipſos deniq; Cives, ſic anguſtiaverat inopiâ; ut *ipſa Ceres jam fame periret!*. Omnibus intolerabilis hic *hoſtis* erat, *fames*; & eô ipſo graviſſimus; quia inviſibilibûs. quemlibet adoriebatur excurſionibûs, ac incurſionibûs, nempe: videri non poterat, ſentiebatur tamen, *uſq; ad diviſionem animæ!* nam: per ipſa viſcera diſcurrebat; ac infeſtando eadem, graviùs in ea ſæviebat; quàm in Tytij iecur, *vultur*; aut in Promethei cor, *aquila* immites ex profeſſo. Crudelis erat hoſtis hic, fames; parcebat enim nemini etiam ſupplici, nec viduarum gemitu, nec orphanorum lachrimîs, nec univerſorum ſingultibûs ac ſuſpiriîs movebatur, penitùs: inexorabilis hoſtis, mortem omnibus, vitam autem ciebat nulli! Nec erat tam dexter promptuariô, Vir in tota urbe Sarephta, qui adverſus publicum *hoſtem famem*, Martiales *manipulos Cereris* erigeret, vel opponeret. In Sarephtanorum enim horreis, acerviſq; conſumpti erant omnes ſegetum

tum *manipuli*, quinimò: ipſum manipulorũ ſtramen, illi ab hominibus, hoc à pecudibus, utraq; præ fame publica, ſummâ penuriâ, ac defectu. Opponebat ſe tamen, huic publico graſſatori, nempe fami, ſed ſolô, ecq; ultimô *pugillô farinæ*, imbellis mulier, *Vidua Sarephtana*; quæ, poſtquã omnes, jam ſui promptuarij nervos, præ intenſiſſimâ cariſtiâ ruperit, tandem ad pugnum ſimilæ, & ad ultimã altricis ollæ ſuæ machinam, ſeu, ad mortarium lecythum olei, ſe recepit. ut extremîs hîs eſculentorum telîs, ſe, filiumq; ſuum, ab infeſto, ac impetuoſiſſimo hoſte fame defenderet. Ungebat ſe, natumq; ſuum reſiduô hôc oleô; ut uncti hi duo magni, magnæ inopiæ Athletæ, faciliùs hoſti, ac æmulæ fami, è manibus eliderentur. Sed jam *Extremô Oleô* Lecythi ungebantur, proximè, ac immediatiſſimè præ inedia jam jam morituri. At ecce: adfuit in charitativum ſubſidium, Cælitùs ordinatus GRADIVUS ELIAS Diviniſſimus, tulitq; auxiliares deſperatis rebus copias, ubi: & ſimilam, & oleum, Sarephtanæ ſic auxit Viduæ; ut, ad ſuſtentandam vitam, non ſolùm ſufficeret, ſed etiam ſupereſſet, utpote: nunquam deficiens alimentum. Repreſſit itaq; hoſtem famem PROPHETA MAVORS, quam reprimere nemo poterat, præbuitq; continuam timidæ mulieri, natoq; ejus ſecuritatem, Præſentiſſimum ſecuritatis Numẽ ſe ipſum offerendo.

Timebant jam itaq; omnia pericula Virum ELIAM, quibûs ille, ſingulos afflictos, (quosquos viderat, aut ſciverat) protinùs etiam non exoratus, feliciſſimè ſemper liberabat. Ultimus tamen, ac infeſtiſſimus hominum *hoſtis Mors* ipſa, auſa eſt tentare ea; quæ, ad auſpicia latuſq; ELIÆ, tentaſſe audere non debuerat. Inſidiata enim eſt, in unicum Domûs, ſpei, & ſolatij materni filium Viduæ Sarephtanæ, rapuitq; ex improviſo *Prædam Animam unigeniti*, & uſq; in alterum abegit mundum. Diffluit in lacrymas miſerabilis orphana Mater amiſſô filiô! completq; ululatibûs non ſolùm domum, ſed urbem & orbem integrum.

Solantur dolorosam matrem vicini cives, sed solando, adhuc uberiores ciunt lachrimas; quòd jam irrevocabile damnum flere, irritasq; utpote inexorabili fato lacrymas toto flumine fundere illam, ad efficatiùs (sed eô ipso inefficatiùs) persvadendum asseverant. Ægrè ferebat orbaParens solamina hæc civium, desperativîs (utpote omnî spe suâ destitutis) verbîs, non autem effectu desideriorum permulcentia, adeòq; noluit consolari, vitam cum lachrimis, aut lachrimas nonnisi simul cum vita, finitura. Mansit ne lōgô per secula luctu Orphana hæcVidua? mansisset semper; si Consolatorem ELIAN præstò non haberet. Sustinuitne diu in vidua, tristia signa domo? sustinuisset; si ELIANI symbola auxilij, lætioribûs novi miraculi depicta coloribûs non adessent; sed quia Præsens Numen erat domi THESBITES Sacerrimus, hinc: vix tetigit ELIÆ aures querela vidualis, protinùs: & damni Recuperator, & mæroris efficax Consolator optimus exstitit ELIAS Divinissimus. Persecutus est enim *hostem mortem* pueri, ultra limites vitæ; quinimò: usq; ad inferos expediit *Immortales* ejaculatoriæ orationis suæ *Copias*, quibûs; sic oppugnavit hostem fatum; ut, ad restitutionem raptæ Prædæ animæ scilicet vidualis Nati, omninò coegisset Libitinam. Restituit itaq; coacta mors Prædam Animam, temerariô ausu suô raptā, porrexitq; suam VICTORI ELIÆ Palmam, quam porrexit nemini ante illum. Primus enim ELIAS monstravit exemplô modum vincendi mortem, primus *Ariete melotæ* Eremiticæ, effregit *Portam inferi*, primus docuit *Parcam*, rupta humanæ vitæ stamina denuò connectere, prim9 deniq; & *Immortalitatem animæ* asseruit, & *Resurrectionis humanæ* specimen praxî dedit; dum miraculosè revocatam in corpus animam, Nato, Natum Matri, utrumq; utriq; ad promiscua, ac reciproca reddidit solatia, sibi tamen nihil inde, præter publicum ex morte Triumphum, & æternā; tam, tā insignisVictoriæ Famam! quàm etiam Famæ memoriam reservavit. Hîc jam audacter quæram: Quis major

jor

jor hostis fame ac inediâ? Quis truculentior, ac invincibilior Barbarus morte? nullus. Cujus deniq; sunt hostes fames ac Lachesis? Terrarum. Cælos enim nec fames infestat, nec Lachesis lædit falce suâ, nam Siderei, semper: & saturi, & immortales sunt Inquilini. Ergo dum utrumq; tã immanem hostem Terræ, nempe: Famem Mortemq; vicerit ELIAS Divinissimus, ac Victrices ex utraq; Laureas reportaverit, proinde: utraq; hæc Laurea PROPUGNATOREM Terrenæ Integritatis, superiùs autem recensita Trophæa, DEFENSOREM Cælorum; complexim autem sumptæ Victoriæ ELIANÆ, strenuissimum pro Integritate Cæli, Terræq; esse GRADIVUM ELIAM declarant & probant evidenter. Proinde:

Subticeo jam, reliquas victoriarum Palmas, Sanctò:heroicis, ac Heroicò:Sanctis GRADIVI ELIÆ Divinissimi manibûs Laurigero Carmelo implantatas; quia: ad plenè enarrandum secula requirunt, non momenta; sufficit ad consolationem orbis dicere, quòd: ELIAS Divinissimus, licet ad dierum vitæ suæ numerum, pro Integritate Cæli, Terræq; Triumphos egerit; adhuc tamen, nec vincere desiit, nec vivere. Triumphali enim Curru suô igneô, è Jericho discessit, non è vivis, locum, non vitã mutavit, à Jordane meavit ad *Euphratis, Tigris, Phisonis, Gehonisq;* fontes, ut hîs quatuor fluminibûs Paradisi, adhuc majorem accendat sitim, ad vincendos Cæli Terræq; Adversarios, inimicos. In Damascũ transmetatus Castra, ac stativa sua, ibiq; evaginatô semper *Ense suô* igneô Prophetico, sic excubat, ac dimicat pro Tuitione, ac Integritate Paradisi, ut Vigilante ELIA Divinissimô, nondum hucusq; auderet audeatq; primus, ac maximus ille Cæli Terræq; adversarius Tartarus orci, ullo stratagemate, arte, vel dolô, adoriri, aggredi, vel invadere Paradisum! nec antea fuisset ausus; si ELIAS Divinissimus, pro primis illis humani generis Ducibus, in eodem Horto Voluptatis excubasset, in quo nunc, respirat interea à partis jam victoriis; sed ad futuras, adhuc for-

tiùs præparatur. Pugnabit enim adhuc *pro Domino Deo Exercituum* in *Solymæa Acie, ac arena*, & vincet etiam cadendo, dum stellæ cadent; resumetq́, cum Antheo *fortiores* ad Cælum surgendi *à lapsu vires*. Sic demum: strenuissimus hic *Dux Militantis Ecclesiæ ELIAS*; fiet Palatinus Senatûs Cælici in *Republica Triumphante*, dum Militari sago suo, Pallioq́, Prophetico, & *Togam æternæ Pacis*, & Purpuram superinduet, Martyriô tinctam murice. Unde: *pro Sidere Martis*, sumet *Senatoriam* à Rege Regum *Stellam*, ipse in perpetuas æternitates, totus ceu Sol, utpote Justus semper Vir, radiaturus: sic enim fideles, ac strenuissimi Cælorum Defensores, *à Rege Regum*, & à tota *Serenissima Republica Cælesti* præmiantur.

Monstravi jam quidem primô dicendi auspiciô, quàm perspicacissimos in Sacris Divorum Ædibus habeat Janos Posnanum Latium, quos Sarmatici Numæ, Piissimi duntaxat Fundatores, pro amicabilibus belli, paciśq; Compositoribus ac Superarbitris, intra mænia statuerunt. Sed quia: *dificilimè cognoscitur hostis domesticus*, qui more interni ulceris, eò magis nocet, quò magis latet; nec aliter sanari valet, nisi sectô corpore incolumi. Sic: toto Elephantini partûs tempore, represserat obsidionales Paridis ictus Neptunia, sed palam, hinc cuneante Achille, inde arietante Ajace, abinde oppugnante Ulysse, aliunde instante Diomede, undiq; autem ipso urgente Paride externîs hostibûs suîs, nec unum quidē lapidem de murali corona sua excuti permisit. Latentes tamen in æneo equo hostes, satis cavere, ac prævidere non poterat, quô, nonnisi *quindeni milites* urbi introvecti, tantam fecerunt cladem Ilio, quantā, nec majores contentô virorum numerô armatæ fecissent myriades, si manifestîs copiîs, ac apertô campestrî Marte decertassent. *Cessit civibus casus Cæsar Julius*, qui fortiter obstitit Pompejo, passusq; est lethalia vulnera domi, qui, nullam de Pharsalia retulit cicatricem. Unde: meritò formidabilior Tullio, totiq; Romæ fuerat Catilina, dum adhuc

Svetonius in Elogio Julij.

in

in urbe versaretur; quàm, dum extra urbem conspiratorē gladium, & comp lices conjurationis suæ eduxisset. Nam: brevis pugio domesticus, ex improviso adactus lateri, prô-fundiùs penetrat, & sauciat graviùs, quàm tricubitalis ensis in comperto. Patent plurimæ in orbe Palæstræ militares, in queîs, pugiles ex arte magistri, rectas, tam declinare, quàm aggredi; tam oppugnare, quàm etiam expugnare patentem, ac exstraneum hostem, proponunt regulas; occultum autem ac domesticum vitate, vel vincere hostē, sola nonnisi Fortuna Palæstra, & unicus magister felix casus docet. Hinc: etiam Idææ quercus, faciliùs declinant violentos Africos, quàm intùs rodentes vermes, in suis visceribus educatos. Et chalybem magis consumit, intùs concepta rubigo, quàm omnium edax tempus, cos, aut ignis; igne enim & cote acuitur mucro, rubigine autem penitùs hebetatur, exeditur, ac fermè evanescit. Igitur: etiā *Centoculi* Posnaniæ tam Cælites, quàm Cives, non fabulosam Junonis juvencam, sed totius *Europæ Bovem* custodientes *Argi*, nequierant in urbe latentes hostes Apellas, cōtra *Dominum Dominantium* rebelles, prævidere. Nunquā enim sperari poterat, tanta in leporonis Judæorum animis audacia, ut *tremendæ Majestatis Regem!* adoriri; ut in totum *Orbem Eucharisticum!* auderent conspirare. Sed animavit illos excors impietas, ut peterent Deum, sed ferrô non precibûs, ut scinderent cultrîs *Panem Angelorum*, quô rabiem suam, non animam saturarent, ut in cella cerevisiaria Mysticam *Vitem* pugnîs premerent, queîs Divini cruoris succum exprimerent, unde suam Hosticidij sitim compescerent; ut deniq́,: sic salirent furore subsannatô, quatenùs, usq́; digitîs tangerent Eucharisticum *Solem Justitiæ*, eundemq́; de Cælo Prædicatorij detractum Ciborij, subterraneîs opacissimæ fornicis umbrîs, ecclypsarent, extinguerent, imò tollerent de mundo Christiano. Fecerunt omnia Posnæ Hebræi, quæ dixi, & citiùs accinxerunt se cultris, quàm, etiam expeditissimus suo Orator stylo. Pri-

vati enim jure Nobilitatis, & *cingulô militiæ* in Polonia; dissoluti in omne nefas *IsraeliticiNobiles*, dum sibi lege vetante scirent non licere ad latus arma sumere, ne penitùs inermes essent, Pugiones domesticos ad manus sumpserũt, quibûs, omnis NobilitatisPrincipem, ac Authorem Deũ, confoderent, penetrarent. Nonagesimum jam tunc nonũ annũ, supra mille tercentas æstates, Christiana agebat Religio, dum perfida Posnaniensium Judæorũ Synagoga, ex fabula Gigantomachia, veram fecit historiam. Quivis enim tunc Apella Gigas erat, Jovi suo, vero rebellis Deo, quivis Enceladus, quivisTyphæus, quivis Porphyrio, Mimas, Pallas, Echion, Damastor quivis; nam: hic elatæ mẽtis suæ volvebat montes in Cælum jaciendos, ille effusos sicut Ruben *aquas multas populos* Appellarum *multos*,ejaculari in Deum moliebatur, alius *sternere Martem*Dominum Claudian. Exercituũ cogitabat, cæteri *laceros Phæbi*, nempe Solis Justitiæ *divellere crines*, in rabido pectore suo disponebant, omnes deniq; easdem ad vindictam in Cælos extendebãt dextras; quas, ad supplices preces extendere tenebantur. Coquebant vesanum contraSalvatorem in corde odiũ, ubi ferventissimum amorem maximum in quintam essentiam distillare debuerant. Ibant turmatim, gregatimq; omnes in *Unicum Dei Filium*, ut: unitîsViribûs majus fecissent scelus, ibat (inquam) interpidè confæderatum sacrilegium, sive sacrilega confæderatio Judæorum, præcedẽte sibi Archi:Synagogô, nefarij ausûs,& execratissimi criminis magnô Duce; cui, & clava, & gladius, & omnis armatura fortium, trilix culter erat, in cote congenitæ adversùs Mundi Salvatorem, malitiæ Judaicæ, utrâq; parte troicus, acutissimus. Fulgebant hæc adeò scelerato ab usu toties polita arma; ut hunc eorũ fulgorẽ, justè læsa *Palatinô: Posnaniẽsis, sive Posnanô:Palatinæ Aquilæ* pupilla, nõ posset intueri. Non potuit enim, nec voluit spectare cõjurati in Deum, teli lucem, tenebrarum fomite toto orcô ad extingvendum *Lumen de Lumine*, in perfidis cordibus inflãma,

tam

tam, adeoq; maluit retorquere palpebram publico Soli ſvetam; quàm pugionum ac cuſpidum radios contẽplari. Sed, licet jam in omne nefas reſolutiſſimus erat Hebræus exercitus; ſolum, ac unicum tamen, *Terribile Nomen Jeſu* formidãdo, nullus virorum, Fecialem agere præſumpſit; ſed: magnô pretiô ac ſtipendiô conductam mulierem expedierat, ut în aciem Rabinæ rabiei ſuæ, *Dominum Exercituum*, de Sacro, Sanctæ Domûs Tentorio educeret, evocaret. Et hæc eſt audacia Judæorum! ut Anteſignanum ſuum ſequantur! fæminam, eô ipſo imbellem, quia ſic impiè audacem, reſolutam; quæ, etiam multô aurô animata, nunquam fuiſſet auſa aggredi, Tabernaculum, ac Tentorium *Domini Exercituum*, ni ſe Catholica conſvetudo, & quotidiana Dei Beneficia *in Domo Domini* feciſſent familiarem ac domeſticã. Venit itaq; præmiſſa Synagogorum Fecialis, *ad Deum Pacis, & Dilectionis*, ſed prætextu pietatis, non autem ſagô præconcepti belli (imò criminis) induta, palliavit ſimulationem ſuam fictâ modeſtiâ, ac devotione, ſimulavitq; ſe mitem ovem *Boni Paſtoris Evangelici*, ut *Agnum Dei* raperet, lupinâ rabie ſub ovina pelle latitante. Favit tempus in Templo vacuum hominibûs, ſed magis ſacrilegum ſtratagema, arte ſatellitis orci, miniſtratum; ut, ex improviſo: è Sacro Propitiatorij Papilione, extractum Generaliſſimũ Ducem ac Dominum Angelorum Chriſtũ nempe Eucharisticum, ad paratas Hebræorum deferret turmas. Extraxit, detulit, prodidit Judæis Chriſtũ Dominum nova Iſcariotis mulier. Prodidit (inquam) non jam oſculô ſed manibûs, ut pro ſua mala voluntate tractarent *Dominum*, in omnes voluntates noſtras, & libera creaturarũ arbitria *Abſolutum*, ô! Cælum, ô! Terra, ô! fulgura ô! fulmina, ô! *Duodecem Legiones Angelorum!* ô! *millia millium, & decies millies centena millia miniſtrantium Deo Spirituum!* quæ veſtra connivẽtia? quæ diſſimulatio? quæ lenitas! quòd, nec Sacrilegam Fecialem mulierem, nec fanaticas Judæorũ phalanges, veſtrum, noſtrumq; Ducẽ, Dominũ, Redemptorẽ, Matt. c. 26. v. 53. Daniel c. 7. v. 10.

 De-

Deum attrectantes, ulló vitæ mulctatis periculô, ullo tollitis discrimine. Sed Dei Ducis hæc clementia, ac longanimitas, non autem *Cœlestis Militiæ* conniventia, oblatus est enim etiam hîc, quia ipse voluit, utpote permisit præbenignitate suâ, ut se Deum etiam imbellis mulier tractaret infra hominem, ipsa tractanda infra dæmonas. Permisit: ut Posnania nova esset in Polonia, Solyma, publicũ scilicet Patientiæ ChristiTheatrum, *Unionis* autẽ *Hypostaticæ* forũ Idumæum, ad emendum quidem, sed, ut contereretur; nõ autem, ut ad coronam esset Sancti Desiderii. Stetit itaq; Jesus Eucharisticus in medio Judæorũ, & quidemTricorpor Geryon, *in Tribus* scilicet sublatis *Hostiis unus*. Tres nẽpe integros orbesTheandricos implevit solus, ut viderent Apellæ, quali Domino! rebellarent; & cui, injecturi essent Tyrannicas manus suas, qui Alexandrô Macedone major potentior & Imperiosior erat, nam: non unius, sed triplicis orbîs Hæres perpetuus, par mille creare orbes, & semper meliores! Hebraica tamen militia, seu vtriùs, ac potiùs malitia, magis sui odij, quàmDivini memor Imperij, Dominii, ac Majestatis, non leniùs de manibus sacrilegæ mulieris, quàm olìm ab osculo Judæ, apprehendit Dominum Exercituum, male præsumptum eô ipso hostem suũ maximum, quia Deum eumq; amicissimum, eô ipso adversariũ, quia Benefactorem omnium, eô ipso Barbarum, quia Humanissimum Deum, qui HOMO FACTUS est, eô ipso alienigenã exterũ, quia sibi humanâ carne, & effusô, (pro orbe) cruore Consangvineum. Hîc jam vidisses: quàm districtos pugiones, ac cuspides, omnes simul in unum irâ concitati, velut ad Clypei punctum sagittas, magno impetu emiserunt, & nullus declinavit Dominũ ictu suo fulmineo, expertissimi omnes in malum funditores; eductũ verò de Hostia ferrum, iterum, iterumq; adhuc magis impellente rabie, millies impegerũt, donec ex confosso Corpore Eucharistico, uberrimìs torrentibûs fluenti Divino sangvini, & sicas, & Catilinarias, imò Neronianas manus suas,

&

& vix non se ipsos immerserint!. Grãdia igitur vulnera in Tricorpore Corpore suo, intra mænia Posnæ, Cælestis Geryon Dominus Exercituũ accepit, sustulit, pertulit. Succubuit nefãdæ Judæorum victoriæ, sæviusq;apelleîs pugnîs,& manubriîs quassatus, quàm olim Epaminondas immani sparô aggrestium. Adeoq;: non poterat amplius in Urbe, tam ignominiosum sibi conflictum sustinere, sed multîs confossus vulneribûs, imò: totus unum vulnus factus! recepit se huc in *Campum Posnaniensem*, ut latentes in urbe Judæorũ machinationes, huc in patentem planiciem educeret, fraudesq; retegeret sacrilegas, Hosticidas. Et cõmedè, quòd se huc in Posnaniensem Campũ recepit saucius Dominus Exercituũ; non poterat enim salubriores, ad sanãdos dolores suos nancisci herbas, quàm hîc in Campo Posnaniensi, ubi *Mysticũ MARIA Liliũ Convalliũ*; *Liliũ ex nobilissima & maximè Regia Radice ortum*, salutaribûs tot miraculorum Foliîs centofoliîs nunc floret quotidie, ubi: quivis Religiosus ELIÆ Palmes Filius, quasi Flos egreditur, quivis *Miraculũ Hispanicũ*, de mundo transplãtatꝰ pulchrius viret, spirituali medicinæ succum continens efficaciter saluberrimũ. Non poterat molliorem Eucharisticis vulneribus suis applicasse Fasciam, quàm *Cingulum* Carmelitanæ *Puritatis*, non poterat *Nuda Veritas* saucium Corpus suũ Sacratissimũ pulchriùs, & majestuosiùs contegere; quàm *Propheticô ELIÆ* hîc *Palliô*, non poterat delicatiorî cicatrices suas in urbe inflictas obligare emplastrô, quàm Sacrô Beatissimæ Virginis MARIÆ Scapularî, de salutifero FLORE CARMELI confectô, omnibus hîc semper in omnes animi, ac corporis defectus, & langvores, paratissimô, probatissimo. Non poterat diligentiores, ac sollicitiores vulnerum suorum habuisse Curatores, quàm amantissimũ Relligionũ PATREM ELIAM, & MATREM MARIAM Scapularem. Non poterat, tutiorem ab incursione, ac invasione hostili metari stationem suam; quàm in circumfuso, undiq; hîc ambigẽtibûs alluentibûsq; undîs stadio. Non poterat deniq; *Do-*

minus Exercituum Strenuiſſimum Militâtis Eccleſiæ *Corpus Euchariſticũ* ſub vigilantiori, ac inſuperabiliori locare præſidio; quàm ſub Excubiis ſui GRADIVI ELIÆ Diviniſſimi, qui in hoc *Poſnanienſi Campo*, jam per 339 meſſes Auguſtoſq; *Granum Electorum*, *Faſciculum Myrrhæ Dilectũ ſuum Deum*, Aurò:Regium, ac Regiò:aureum *Manipulũ Jagellonicum*, *&* *Aſceticorum Manipulos Heroum* Filios ſuos, plus quàm Cadmeã, vel Deucalionis quia: Carmelitanò:Seraphicã, ſive Seraphico:Carmelitanã ſegetẽ cuſtodit integerrime. Hìc itaq; ſub Propheticis vigiliis ELIÆ Diviniſſimi, cum diſtricto Gladio pro Immunitate publica ſemper excubantis, convaluit perfectiſſimè ex vulneribus ſuis ſaucius olim, *Dominus Exercituũ*, hìc counivit conglutinavit ſe iterum contrita olim *Unio Hypoſtatica*, hujus Florentiſſimi tot coronîs, quot Religiosîs virîs, vernantiſſimi omni pietate *Campi Poſnanienſis* ſalutaribûs herbîs, medicatus eſt impaſſibilibus ſuis Doloribus REX DOLORUM, ELIÆ hìc Palliô pulchriùs, quàm Tyriô, vel Sydoniô murice ad Majeſtatem ornatus, paludatus; hìc Sereniorẽ vultũ induit, cruẽtâ olim effuſi ab Apellis, ſangvinis ſui nube obſcuratus *Sol Juſtitiæ*, in hac ſua *Regia*, *Solis Regnorum Vladislai*; Fundatoriîs ejus ſplendoribûs Jagiellonicîs æquidialî, Sereniſſimâ, inoccidue quotidianîs fulgens Gratiîs; hìc deniq; ſecuriſſimã à cunctis diſcriminibus Theandricus ſalutis noſtræ Coryphæus habet ſtationem, nullo ævo violabilem. Quia verò Dei, ejuſq; cultûs Integritas; eſt maxima Cæli Terræq; Immunitas, ac inexpugnabilis noſtrũ omnium Securitas; ſi enim viſô integrô, illæsô, nec penetratô clypeô ſuô ſecurum ſe, etiam in mortis diſcrimine aſſeruit Thebanus Dux Epaminondas, multò magis, integrô, ſalvô, ac ſecurô triplicî Theãdricô Euchariſtiæ Clypeô, *Scutô bonæ voluntatis* Divinæ, in munimentũ noſtrî lapsô de Cælis, quia ex àëre in ſacras manus piiſſimo *Joanni Ryczywol*, demiſsô *Ancilî*, in Protectionem Cæli, Terræq; & Poſnæ; hìc reconditô, inviolata *ſalus huic Domui*, & toti Urbi

Po-

Posnaniæ *facta est*. Ergo ubi Cælorũ Terrarumq; Domin9, Generalissim9 Cælestium Dux Spirituũ. Victor Crucis, Triumphator fatorum Gloriosissimus Christus Dominus, post Hebræa bella ac discrimina, ELIANO se hîc tradidit Præsidio, manetq; ac indubitatè semper manebit intergerrim9 proinde: acclamate Cæli, annue Terrestris orbis, consenti te mecum, generaliter concludente, Auditores Prudentissimi, Doctissimi, Honorificentissimi, Divinissimũ ELIAM PROPHETAM, almi Carmelitani Ordinis Fundatorẽ ac Patriarcham, strenuissimum esse pro Integritate Cæli Terræq. GRADIVUM.

Quia verò: *semper redundat in Filios, Patrum Gloria*; ELIANI autem FILIJ Vos estis, Religiosissimi Hæredes Carmeli, ergo legitimè successivò jurè, cedunt vobis omnes Triumphales Palmæ, ac Victrices Lauri, & corymbi; quas, de Cæli Terræq; hostibus, strenuissim9 GRADIVUS ELIAS, Prithoplastres vestrûm, retulit dexterrimè. Et satis, quidem esset ad supereminens complementum Elogiorũ; Tanti Prophetæ vos possedisse Gloriam! qui: *Verbô Domini continuit Cælum! & amplificatus est in mirabilibus suis! sustulit mortuum ab inferis! dejecit Reges ad perniciẽ, & cõfregit facile potentiã ipsorum, receptus est deniq; in turbine ignis, in Curru equorum igneorum! &c.* Vos tamen Carmelitanæ Famæ, non tantùm Hæredes estis, sed Auctores etiã. Vos enim Fluminũ naturã imitati, desumptũ ab Oceano ELIA Torrentem Sanctitatis, in flumen augetis maximũ, navale, ipsis Diis, Divisq; Argonautis navigabile; & toto, eôq; plenô alveô in Altũ Divinæ Gloriæ, & in Mare Gratiarũ MARIAM, decurritis. Quinimò: Ignei Prophetæ Patris, Ignei Filij Carmelitæ, ex Vesuvio ELIANI Zeli Carmelo, acceptum *Ignis Consumentis* fomitem, Primitivò: Ascetici *Honoris* semper nutritis *Fascibûs*, oleo autem Sapietiæ Vestræ illum prefundendo, inextingvibilẽ Cælestis Terrestrisq; *Custodem Imperii Flammam*, Vestales Viri, Viri animô, & corpore Virgines, summi Religiosorũ omniũ Pontifices excitatis. Unde: & Duci

Religionum ac Ascetarum omnium, primoVictori Domitoriq; libidinis, utpote: primo Monasticæ Castitatis Coryphæo, Antesignano, Assertoriq; ELIÆ Divinissimo, &c. ipsis Astris Pyram accenditis Triumphalem. Pugnavit pro Integritate Cæli Terræq; GRADIVUS ELIAS, & vincebat, ac triumphabat semper; Vos easdem hucusq; continuatis Victorias; dum in acie Ingenij Vestri, hinc historicô, inde Sacrè:Oratoriô stylô, cunctos traijcitis hostes Fidei; abinde autem, Chalybeò:cornutis speculativorum Dilemmatum Arietibûs, omnia sectarum molimina, cuncta infidelium receptacula, fortalitia, refugia, universa heterodoxorum munimenta, ceu araneas telas perfringitis, quassatis, &c, usq; cum *Fundamentali Divinæ offensionis lapide* extremè diruitis, demolimini. Proinde: si GRADIVUS ELIAS est (ut pro possibilitate ingenij mei probavi) ergo Vos Tanti *Sidera Martis!* in Sphæra orthodoxæ activitatis majora Terrîs omnibûs, semper *ad orientem Solis Justitiæ* se se moventia, Id est: in Cælo Carmelitanæ Cellæ, quivis Vestrûm *MARS PLANETA*, Serenissimò *Sole* Regnorum *Altior*, sublimior, eminentior, quia; usq; ipsi Deo *Jovi proximus*, & affinis, utpote: Sapiens, & Asceta quivis. Quapropter: custodit paratum Divinissimus ELIAS Paradisum, Vos novum in orbe paratis; *Arbores scientiæ boni*, ubiq; Terrarum, ubivis Gentium, plantando, radicando, colendo, educãdo. Ergo ELIA Divinissime, etiam exinde Invictus MARS, ac GRADIVUS esse probaris; quòd, tam dexterrimas Filiorum tuorum habes Copias, ac Phalanges, Legiones, Invincibiles, sub Scapulari Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo MARIÆ Laboro, Cælo militantes, in hoc *Posnaniensi Campo* pro Integritate omnium, die noctuq; vigilantes; in quo Tu, sub hoc Jagellonicè:Regio Tibi Sacrato Tentorio, Veri Numinis Tabernaculo, ac Propitiatorio, Pijssimô Tuorum stipatus Cætu Filiorum, Totum *Domini Exercituũ Corpus* defendis, ac tueris integerrime. Propugna ergo GRADIVE ELIA Propheta, Patriarcha ac Fundator Gẽmei Ordinis Carmelitarum; acerrimô, ac Victore Tuô *Gladiô*, totum Sarmatiæ Regnum, propugna Cives, Urbemq; Posnaniæ; nostrûm verò omnium *Militam super Terram vitam hominis*, orthodoxô stratagemate, sic instrue vincere cunctos Cæli Terræq; hostes, ut per *Templũ Virtutis*, ad *Templum Æternæ Pacis*, id est: ad Triumphãtem Ecclesiam veniamus. D I X I.

pro